

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
B
8
NAPOLI



HORTVS
SEV
ARMAMENTARIVM
SIMPLICIVM, MINERALIVM, Plantarum & Animalium, ad artem Medicam vtilium.

CVM BREVI ET ACCVRATA, IVXTA celeberrimos authores, eorum etymologiâ, descriptione, loco, temperie & viribus.

Authore PETRO BORELLO, Medico Regio, Castrensi.









CASTRIS,

Apud BERNARDVM BARCOVDANVM, Typographum Regium, anno 1666.



D. DOMINO, PAVLO PELLISSONIO, REGIS A CONSILIIS ET IN SVPREMA MONSPELIENSI CVRIA SENATORI INTEGERRIMO.

PETRVS BORELLVS MEDICVS S. P. D.



Rahimur omnes laudis studio, vt optimè dixit eloquentiæ Princeps (eruditissime ac integerrime Senator) & optimus quisque gloriâ maximè ducitur, nullamque virtus aliam mercedem laborum præter hanc laudis & gloriæ desiderat; insidet enim in optimo quoque


ā 2

virtus, quæ noctes atque dies animum gloriæ ſtimulis concitat atque admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationẽ nominis noſtri; cum autem primi noſtri parentis omni poſteritate, hanc attingendi gloriam ſtudio ſemper flagauerim; ingenti cum ſedulitate omnia curioſa rimatus ſum, quod tibi ſatis ſuperque notum, ſed res anguſta domi, inuidorumque technæ, me valdè a ſcopo remouerunt, Tu cum pauciſsimis aliis, mihi in his anguſtiis ſuccurriſti, tu manus porrexiſti, aculeoſque addidiſti, ideoque iurè tibi, hocce opuſculum nunc dedico, cum præterea eius & compoſitionem & editionem tuo conſilio promoueris: aduerſus ergo Reipublicæ literariæ oſores opus hoc aliquo modo tuum, defende, meque

in clientelam tuam atque in amicorum minorum numerum seruare non dedignere, non autem hic in virtutum eruditionisque vel stirpis tuæ encomiis (cum neminem lateant) commorabor, loquuntur satis pro te & fama & opera, Europæ admiratio, tuaque intemerata in Regem fides & in literatos singularis humanitas; nemini ergo mirum esse debet quod in tanta tui nominis celebritate hanc opellam, nec te fortasse nec me dignam satis, tibi offerre ausus sim; quiescent enim, vt spero, quantumuis maleuoli qui audient te hortante atque impellente esse susceptam, in eaque, parua licet, a cedro vsque ad hyssopum, tanquam Salomonis libri Epitomen, totiusque naturæ Gazophylacij compendium inuenire

est : quod ad me attinet si tibi opusculum meum placuisse percepero, spero me breui in posterum & maiora & digniora tibi oblaturum, tu interim Reipublicæ literariæ decus, plurimum Vale.

PETRVS BORELLVS
Med. Regius.



LECTORI.




CIAS necesse est, (Lector) virum meritissimum Dom. Paulum Pellissonium,

Famâ super æthera notum

Valdè olim exoptasse, vt manuale alphabeticum rei herbariæ exactissimê componerem, in quo breuiter, nomina plantarum, earumque etymôlogiæ descriptiones, loca, temperies, doses, viresque, iuxta principes rei botanicæ authores extarent; non solum rem adcò vtilem peregi sed etiam Animalia & Mineralia, quibus in Medicina vtimur adiunxi, at dicet aliquis, id multi fecerunt; respondeo, fecisse

quidem, ſed non alphabeticè, nec adeò breuiter ac perſpicuè nec cum tribus naturæ regnis conjunctis, nec tàndem cuncta quæ retuli ab aliis relata ſunt, quare munere tibi gratis oblato, ſi lubeat, vtere. vale.





HORTVS

SEV ARMAMENTARIUM Simpliciũ, Mineralium, Plantarum & Animalium ad artem Medicam vtilium, cum breui & accuratâ, iuxta celeberrimos authores, eorum etymologiâ, déscriptione, loco, temperie & viribus.

Authore PETRO BORELLO, Medico Regio, Castrensi.

ABROTANVM.

CAPVT I.



BROTANVM græcè αβρότονον quod planta tenera & mollis sit, Gallicè, *Auronne*, *& garderobe*, quia fugat tineas à vestibus, Item *Bois de Sainct Iean*, *petit Cipres*, & inde Chamecyparissus. est

Fuchsius lib. de plantis.cap. 2.

mas & fæmina,foliis minutis, odore graui,ſemine tenui, Hortos amat, calida eſt & ſicca 3.gradu. valet ad aſthmata, conuulſiones,iſchiad.dolores,vrinæ & menſium ſuppreſſiones, venena, oculorum inflammationes.

Dioſcorides. lib. 3. cap.26.

Calefacit, deſiccat, lumbricos necat, febrium rigores minuit, valet ad alopecias, barbam tardam euocat, qúia rarefacit.

Gal.l. 6.de ſimpl. med.facult.

Optima eſt ad peſtem & alios morbos peſtil. ad morbos pectoris & matricis,ad obſtructiones iecoris & lienis.

Mathiolus in Dioſcorid.cap 25.l.3.



ABSYNTHIVM.

CAP. II.

ABSYNTHIVM, græcè ἀψίνθιον ἀπίνθιον quaſi impotabile ob amaritudinem. gallicè *Aluine & barbotine*, ramoſum eſt,foliis albeſcentibus, variè ſectis, flore aureo, ſemine rotundo, racematim diſpoſito.

Fuchſius de plantis cap. I.

Amat loca montana & ſaxoſa, in hortis colitur.

Oribas. & Apul.

Eſt calid, I. gradu, & ſiccum 3. calefacit, adſtringit,extergit, roborat, deſiccat & bilem euacuat.

Gal. l. 6. ſimpl.med.

Vrinas cit, bilem purgat, fastidia tollit, ictero confert, venenis resistit, menses euocat, vermes necat, iecoris, & stomacho est vtile si doleat, valet ad nephritidem & appetitum restituit. Dioscorid. lib. 3. c. 24.

Eo vidi multos hydropicos curatos. Mathiolus. l. 3. c. 23.



ACACIA, VEL SPINA.

CAP. III.

ACACIA est frutex vt lupinus flore albo. in valuulis nascens, spinosa est arbuscula Ægypti, adstringit & refrigerat, confert oculorũ medicamentis, erisipel. vlceribus & talorum tumoribus, vt & carni vnguium excrescenti, menstrua sistit & capillos denigrat. Diosc. l. 1. c. 112.

Est acris & desiccat 3. gradu, refrigerat 2. Galen. l. 6. de med. simpl.

De eo vide plura apud Mathiolum. Mat. l. 1. c. 116.



ACANTHVS.

CAP. IIII.

ACANTHVS dicitur & branca vrsina quia refert vrsi pedes anteriores. & marmoraria: insculpebatur co- Fuchsius de plants. cap. 15.

lumnis & pateris. habet folia lactucæ sed longiora & latiora & instar erucæ incisa, caulem bicubitalem, florem album spicatum cũ semine oblongo luteo.

Diosc. l. 3. cap. 16. in hortis reperitur. digerit & desiccat. radix eius confert luxatis & vstis, pota

Fuchsius. id. vrinam mouet & aluum sistit: tabidis ruptis & conuulsis prodest.

Galen. l. 6. med. simpl. Folia discutiunt.

De ea Galenus etiam agit.

Mathiol. l. 3. c. 17. Modicè resoluunt & desiccant eius folia ac leniter incidunt.



ACETOSA, LAPATHVM.

CAP. V.

Fuchsius. cap. 174. ACETOSA est planta oblonga & lanceata, acida vnde ei nomen dicitur & oxalis Græce. Gal. *ozeille*, sub ea continetur ex Mathiolo & Dioscoride lapathum seu oxylapathum, a verbo λαπάζειν vacuare, quia aluum emollit, dicitur & rumex: Gallice *parelle, patience*, & rhabarbarum monacho-

Diosc. l. 2. c. 103. rum, tollit meliceridas, dysent. cæliacos affectus, stomachi fastidia. ictus scorpionum, impetigines, lepras, vngues, scabros, pruritus, dentium dol. auri-

umque tollit, strumas, discutit, calculo & vtero confert, menstruaque pellit.

Resoluit modicè & repellit, semen adstringit & alui fluxus omnes sistit. valet ad morsus canum rabid. eius aqua cutem mundat & curat icterum. Mathiolus. l. 2. c. 108. & Gal. l 7. Simpl.



ACETVM.

CAP. VI.

SATIS notum est acetum esse vinum acidum, refrigerat inflammationes, appetitum euocat, & est potius frigidum quam calidum ; de eo vide Renodeum de mat. medica l. 1. c. 3. Galenus. l. 1. 23 simpl. & l. 11. Renod.

Refrigerat & adstingit, sanguinē vulnerum retinet, inflam. impedit & vlcera corrosiua, eius fotus podagrā leuat ictusque venenatos serpentum & scorp. &c. synanchi etiam confert & aliis gutturis fluxionibus. vide Mathiolum. Diosc. Math. l. 5. c. 17.



ACHILLEA.

CAP. VII.

Mathiol. l. 4. cap. 32. ACHILLEA Montana est species sideritis, adstringit & confert dysenteriæ & menstruis sistendis.

Diosc. l. 4. c. 28 Gal. l. 8. simp. De ea vide Diosc. l. 4. c. 28. & Gal. l. 8. simpl.



ACONITVM. NAPELLVS.

Doronicum.

CAP. VIII.

Fuchsius. cap. 30. ACONITVM dicitur sic a pago ponti vel à cautibus vel cotibus, vbi nascitur & quia eo intoxicabantur tela: Gallice, *Estrangle Leopard,* Græce pardalianches, quod pardos necet, & quod lupos occidat, luparia & lycochtonum, vua etiam versa, est quædam eius species cuius radix figuram habet Scorpii, dicta doronicum, quæ necat erosione; nemora & colles amat.

Gal. l. 6 Diosc. l. 4. c. 66. Colliquat & putrefacit.

Miscetur remediis ad oculorum dol.

Eſt omnium venenorum ocyſſimum, Plin.
eiusque tactu ſolo torpent ſcorpiones.

Doronicum folio tuſſilaginis eſt, Mathiol. l.
ſub eo etiam napellũ comprehendunt 4. c.72.
& herbã (paris) dictam quæ habet 4. fol. 73.
crucis figura diſpoſita, cum globulo nigro in medio ſed hæc non eſt venenum at econtra eſt antidotus. napellus vero venenum eſt, eius fol. in 5. diuiduntur & flos eſt inſtar cranii, vocatur etiam, thora. & eius remedium ſeu planta circa illud naſcens, anthora & antithora. eſt fl. purp. rad. inſtar oliuarum.



ACORVM.

CAP. IX.

Fuchſius. c.
ACORVM, græcè *ακορον* & 4.
aphrodiſia id eſt venerea (vel potius quod oculorum aciei medeatur) Apuleius.
eſt pſeudo-iris, iriſque lutea. idem eſt
cum calamo officinarum Gallice *glayeul*, Bauhin
flamme baſtarde habet folia iridis ſed anguſtiora, rad. acri, extra rubente eſt, amat prata, amnes & paluſtria loca. cal & ſicca eſt 3. gradu.

Diosc. l. 1. cap. 2. Vrinam cit, prodest thoracis, iecoris & lateris doloribus, torminibus, conuulsionibus & rupturis, lienem minuit valet & ad venena & discutit caligines oculorum.

Gal. l. 6. simpl Vrinas mouet, exiccat valde & lienem emollit.

Mathiol. c. 2. l. 1. Radix condita stomachum roborat tollit obstruct. & refrigerat, tussi confert & halitum fætidum corrigit, menses cohiber, sanguinem sistit, non cit vrinas Fuchsius c. 4. quia non idem est cum eo antiquorum.



ADEPS.

CAP. X.

Dioscorid. l. 2. c. 65. ADEPS, hominis ad dolores confert: Adeps gallinæ recens valet ad matricis morbos. omnes adipes calefaciunt, emolliunt & rarefaciunt: adeps hirci valet ad podagram. porci ad morbos ani, matricis & ambusta, vetus pleuriticis prodest, cum calce fistulis, inflammationibus & tumoribus. Vrsi adeps pilos reuocat, & curat talorum fissuras. vulpis dol. aurium tollit. viperæ ad debilit. visus & catharactam confert, de ea

rpentis vide ſerpentem. adeps taxi reluit & emollit, valet ad neruos contraos & iuncturarum duritiem. Mathiolus.l.2 c. 69.

Omnis adeps ſtomachum laxat, apcitum tollit, aluum emollit, phlegma uget, ſomnum prouocat, ſenſum hebem reddit. Gal.l.3 aliment.



ADIANTVM.

CAP. XI.

ADIANTVM, dicitur & callitrichum & polytrichum ob capillos quos refert & ob id dicitur cincinnalis, terræ capillus & ſupercilium terræ vt & capillus veneris. nomen accipit ab ἐ διαίνεσαι quod non in aqua madeat. habet folia coriandri, caules nigros & caret flore, amat puteos & fontes locaque humida vt ſpecus, &c. eſt temperat. calid. & frigid. confert aſthmati & diff. reſpirat. ictero, lieni, & vrinæ difficultati, calculos terit, aluum ſiſtit, menſes & ſecundinas pellit, hæmoptoim cohibet, venenatis morſibus reſiſtit & capillorum defluuio ſuccurrit. Fuchſius. de plantis c. 28. Dioſcorid.l. 4.c.118.

Gal. l. 6. & l. 8. simpl. Extenuat & discutit, alopecias tollit strumas & abscessus digerit, lapides frãgit, ventrum fluxiones tollit, vt & viscosos & crassos humores & præcipuè à pulmone & thorace, quare fit ex ea syrupus optimus ad thoracis morbos, tabem & asthma, & ptisana ad hydropem & cachexiam.

Math l. 4. c. 131. 132. Capillos producit, subtiliat resoluitque tumores & scrophulas, calculos rumpit, expectorat & aluum sistit.



AES VSTVM.

Cap. XII.

Diosc. l. 5. c. 55. ÆS VSTVM, adstringit, desiccat, subtiliat, attrahit, mundat vlcera & ad cicatricem ducit. confert oculis & eorum excrescentias carneas absumit, resistit vlceribus corrosiuis, modo prius lauetur.

Mathiol. l. 5. c. 46. Optime vlcera cicatrisat.

Gal. l. 9. simpl. Acre est & valde adstringens.



AGARICVM.

Cap. XIII.

AGARICVM, eſt fungus trunci laricis & reperitur copioſè in Delfinatu, Galliæ Prouincia. bonũ facile ingitur & eſt leue,ſplendens & candidum. eſt cal.1. ſic.2. gradu. omniũ fere artiũ corporis vitia tollit & deobſtruit, orrigitur zinzibere, doſis eſt ad drachmam vnam & ſemis. reſoluit, calefacit, incidit craſſos humores. Morellus in formulis medicis. Mathiol. l. 3. c. 1.

Cedris innaſcitur & nomen ſumit à regione Agaria in Sarmatia,prodeſt torminibus, contuſionibus, dyſenteriæ, rupturæ, caſibus, indigeſtioni, ictero, obſtruct. iecoris & renũ,dyſuriæ & tabi menſtrua etiam cit & tollit ructus acidos De ea Galenus agit l. 6. ſimpl. Dioſc. l. 3. c. 1. Gal.



AGNVS CASTVS.

Cap. XIIII.

AGNVS CASTVS, ſeu vitex eſt frutex habetque folia in 5. diuiſa Dioſc. l. 1. cap 114.

instar oleæ sed longiora, amat aquas. eius fructus piper refert, florem habet album vel purp. calefacit, adstringit, prodest morsibus ferarum, hydropi & morbis splenis vtilis est, lac & menstrua prouocat, sperma dissipat, somnum promouet, lubricitatem arcet, vnde nomen obtinuit, & ex eo ideo fiebant strata in thesmophoriis, viarum fatigationes, tollit, durities resoluit.

Mathiol. l. 1. c. 115.



AGRIMONIVM. EVPATORIVM. *Aggeratum.*

Cap. XV.

Fuchsius de plantis. cap. 90.

EVPATORIVM, vel Epatorium dicitur Agrimonium quod hepati conducat vel potius à Rege Eupatore eius inuentore; est & aliud dictũ adulterinum seu Eupatorium Arabũ & aquaticum, nascitur circa fossas & sepes & satis notum est, extergit & incidit est cal. sic. 2. ordine. impositũ curat vlcera difficilia, semen valet ad dysent. morsus serpentum & iecoris morbos; iecur roborat.

Diosc. l. 4. c. 33. Gal. l. 6. simpl

Calefacit, extenuat & abstergit, cõfert iecoris dol. ictero, febribus, & obstruct.

Math. l. 4. c. 37.

cnis, eupatorium Arabum expurgat- id.
enas & abſtergit craſſitiem earum, cit
rinas & menſes, obſtruct. tollit iecoris
& lienis, expectorat pus è thorace, ve-
ıcnis, reſiſtit, vulnera ſanat & beſtias
ugat venenatas.

Aggeratum ſeu herba giulia eſt eius Dioſc. l. 4. c.
ſpecies, habet folia origani, flores aureos 49.
vmbellatim diſpoſitos.

Reſoluit ex Galeno. Gal. l. 7. ſimpl.



ALCEA.

Cap. XVI. Fuchſius de plantis cap. 27.

ALCEA, dicitur & Simeonis herba & malua ſylueſtris, Gallicè *guimauue*. Gal. l. habet fol. leuia, florem roſeum, rad. 4. de longam albam, amat foſſas & loca pin- ſimpl. med. c. guia. eſt emplaſtica. 4. & 5.

Rad. pota curat herniam & dyſen- Dioſc. teriam, idem aiunt Paulus Ægineta & l. 3. c. Plinius. 148. Paulus Æg.

Valet ad oculos caligantes. nunc Plin. dentes optime eius radice mundantur. Fuchſius, c. 17.



ALCES VNGVLA.

Cap. XVII.

ALCE dicitur aliter magna bestia & asinus siluestris, de quo Bauhinus librum fecit. aiunt epilepsiâ detineri & vngulâ auri inditâ curari à semetipso; quare expetitur eius vngula & fertur ad hunc morbum optimam esse, imò si tantum suspensa collo pro amuleto feratur. reperitur in septentrionalibus regionibus, pedes eius ceruinos æmulantur.



ALCHIMILLA.

Cap. XVIII.

Fuchsius de plantis c.233.

ALCHIMILLA seu pes vel patta-leonis à figura foliorũ, habet semen minutissimum, amat prata. fol. & radix adstringunt & exsiccant. uulnera glutinat, mammas duras efficit, rupturas & vulnera interna curat, ramices puerorũ sanat. Mathiolus eam stellariam vo-

Math. l. 4. cap. 115.

at, à florum figura, folia habet maluæ ed crispa vel angulosa.



ALLIARIA.

CAP. XIX.

ALLIARIA Gallice, *Herbe aux aux*, quod fricata allium redoleat, & à figura foliorum, pes asininus, Græce ob odorem, scordotis & econtra scordium dictum fuit alliaria. folia eius vrticam referunt, flos lacteus est, semen atrum, rad. longa. venit passim in agrorum marginibus. calefacit & siccat. vires fere eædem cum allii viribus. calefacit, crassos humores extenuat, glutinosos incidit, ventri & vuluæ admouetur ad suffocationem vteri. Fuchsius, c. 36. Math. l. 4. c. 109.



ALLIVM.

CAP. XX.

ALLIVM, Græce scorodon quasi rosa rudis, quod olfactum lædat. eius species folio lato reperitur in syluis Fuchsius c. 281

& vocatur, allium vrſinum. deſiccat &
Dioſc. calefacit 4.gradu.flatus educit ſitim dat,
l. 2. c. cutem exulcerat,vermes expellit,vrinas
138. ducit: Valet ad morſus viperarum &
canum,confert hæmorrhoidibus veteri
que tuſſi, necat pediculos & lendes, curat alphos lentigines,lepras,furfures,impetigines, dol. dentium: menſes & ſecundinas extrahit, deobſtruit & hydropi confert.

Gal. l. 6.ſimpl Humores extenuat, & incidit.

Aetius Flatus diſcutit.

Plin. Fugat odore ſerpentes & ſcorpiones. datur ad Anginam & ſtrumas, auribus inſtillatur pro dolore dentium, raucitatem tollit.

l. 2. c. 146. De eo vide Mathiolum.



ALKEKENGI.

CAP. XXI.

Mathiolus l. 4. c. 69. ALKEKENGI eſt ſolani ſpecies, foliis morellæ, habet fructum inſtar cerafi,tunicæ incluſum,dicitur & ſolanū veſicarium & halicacabum, Arabicè uero Alkekengi,ardorem vrinæ mitigat, vrinas expellit calculumque.

ALNVS.



ALNVS.

CAP. XXII.

LNVS, eſt arbor aquatica, cuius folia admota inflammationes tol-t & reſoluunt. ſub pedibus laſſitudi-tollunt. gallice dicitur, *aulne*. Mathi-ol. l. 1. c. 93.



ALOE. AGALLOCHVM.

CAP. XXIII.

LOE eſt lignum odoratum Indi-cum & Arabicum, nigro macula-, adſtringens, ſubamarum, cortice ii (ad candelam fuſibile e quibuſ-) confert dyſenteriæ, torminibus, nacho nimis humido, dol. iecoris teris, ſudores tollit, eſtque cardia-& cal. ſic. 2. gradu. Dioſc. l. 1. cap. 21.

LOE HERBA ET SVCCVS.

ALOE dicitur & *Perroquet* ob rem viridem & ſemperuiuum ma-m ob figurã & viuacitatem, nam- Fuch-ſius cap. 49.

ſine terra diu durat. habet folia longa, craſſa & inſtar ſcholimi diſpoſita. calefacit 1. gradu & ſiccat 3. bilem educit. ex Mathiolo. l. 3. c. 22. ſucci eius fæx dicitur aloë caballinum, quod iumentis detur, aliud purius dicitur ſuccotrinum quod à Zoccotora inſula feratur, & epaticum à colore epatis. tollit hæmoptoim, aluum ſoluit, icterumque, vulnera glutinat & vlcera genitalium fiſſurasque ani & præputii, hæmorrhoid. ſiſtit, tollit liuores & palpeb. ſcabrities. fronti admouetur ad dol. cap. valet ad tonſillas & vlcera oris vt & ad oculos.

Math. l. 3. c. 22. Dioſc. l. 3. c. 23.

Adſtringit, inflam. oris, narium & oculorum tollit, caua vlcera curat, confert ſtomacho roborando.

Math. l. 3. c. 22.

Repellit, diſcutit, extergitque.

Spiſſat. capil. fluentes, retinet & dyſent. pueros purgat & vermes necat vmbilico admotum, cum felle porci.

Gal. l. 8. de comp. med. Plinius.



ALSINE, MORSVS GALLINÆ, auricula muris.

Cap. XXIIII.

Bauhinus in pinace.

ALSINE, ſeu morſus gallinæ vel auricula muris, ob figurã, græcè, myoſitis,

υος *ωτις*, *αλσινη*, *ab* *ἄλση*, id est, aco. dicitur & pauerina quod ea paui nutriantur & hippia, gallicè *mouron & morgeline* quod diligatur à gallinis. habet folia oblonga, bino ordine è quibus cauliculi cum flosculis exeunt cærulei. Diosc. l. 2. c. 168.

Amat vmbras & nemora ex Bauhino. refrigerat & humectat, curat fistulas, oculis inflammatis confert & dolori aurium. Mathi-o. l. 2. c. 179. Diosc. id. & l. 4. 75. & l. 5. c. 67.

Prodest ad eadem quæ parietaria.

Curat phlegmones feruentes & parua, erysipelata. siccat. 2. gradu. Mathi-ol. l. 4. c. 82. Gal. l. 7. de simpl.



ALTHÆA.

CAP. XXV.

ALTHÆA, Græcè, *αλθαια* & *ἰϐισκος*, *ibiscus*, *ab* *ἀλθαίνειν*, id est Mederi, od vires magnas quas habet. dicitur & bismalua & maluauiscus Gallice, *Guimauue*. est malua syluestris & habet folia rotunda & lanuginosa, florē rosaceum, radicem viscosam, caulemque bicubitalem. amat loca humida & pin- Fuchsius cap. 5.

guia. radix est calida & sicca, 2. gradu, flores, 1.

Diosc. l. 3. c. 147. Valet ad vulnera, parotidas, strumas, abscessus, inflam. mammarum, & neruorum distensiones, discutit, maturat, rumpit & cicatrisat. item secundinas educit, dentium dol. mitigat, valet ad dysent; ambusta & ictus apum.

Galen. l. 6. simpl. Renum calculos frangit, alui omnia sistit profluuia & hæmorrhagias, phlegmones etiam mitigat & coquit.

Mathiol. l. 3. c. 146. Dolores & inflammationes lenit, valet & ad hæmoptoim.



ALVMEN.

CAP. XXVI.

Diosco. l. 5. c. 87. ALVMEN rochæ, græcè stypteria à viribus adstringentibus, fertur ex Ægypto & aliis locis, vstum vlcera reprimit putrida, calefacit, mundat oculos, sanguinem sistit, gingiuas adstringit, & excrescentias, dentes firmat trementes, aphthas tollit, pediculos & lendes tollit, furfures capitis mundat, fætui nocet, sterilit. inducit mulierum matrici inditum.

Exiccat valde vlcera, & difficilia ad catricem ducit. Math. l. 5. c. 82.

De eo agit Galenus. l. 9. simpl. & lib. . de comp. med. Gal. l. 4. & l. 9.



AMARANTHVS. STOECHAS.

CAP. XXVII.

AMARANTHVS, sic dictus quasi immarcescibilis, ab aliis vocatur flos amoris, Gallice, *Passeuelours.* est purpurea coma ornatus, habet folia ocymi, semine est nigro, lucido, minuto, caule rubeo, amaranthus tricolor habet folia tricoloria. in hortis colitur. sub hoc etiam complectitur helichrysum seu stœchas citrina fol. hyssopi angusto, amatque aspera loca & est cal. sic. sed primus frig. sic. amborum flores numquam marcescunt: helichrysum valet ad difficult. vrinæ, ad ictus serpentum, rupturas, menses mouendos, grumos sanguinis a vesica educendos, tineasque à vestibus fugandas. fluxiones omnes desiccat, stomacho nocet. Fuchsius de plant. c. 34. Diosc. l. 4. c. 47. Gal. l. 6. simpl.

Confert dysenteriæ, hæmoptoi, venis pulmonis, ruptis, menstruis immodi- Mathiol. l. 4. c. 52.

Fuchsius.c.34. cis. purpureus amaranthus tollit alui fluxus, sed nocet stomacho, citrinus vero vel luteus lumbricos necat & pediculos.



AMBARUM.

Cap. XXVIII.

Mathiol. l. 1. c. 20. AMBARUM, in mari Arabico, Indico, & Gallico reperitur, est album, nigrumque sed cinereum optimum est. luteum vero est minerale, & gummi, vel bitumen. cor & cerebrum recreat, senibus & frigidis optimum est.

Renodeus. l. 2. c. XI. de mat. med. Ex Garcia est terra odorata, ex Fuchsio mixtio artificialis, ex aliis auium stercora, ex aliis bitumen, fungus, sperma balenæ &c. partes naturales roborat & recreat cor, cerebrum & spiritus vitales. lipothymias arcet.



AMBROSIA.

CAP. XXIX.

AMBROSIA sic dicta quod det vitam longam, & botrys dicitur à figura vuæ. Diosc.l 3.c.116

Est plantula foliolis rutæ absque flore, semine racematim dispositio, odore vini, repercutit & fluxiones irruentes in partem aliquam sistit.

Resoluit & adstringit ex Galeno. Mathiol. l. 3. c. 112. Gal. l. 6 simpl.



AMMI.

CAP. XXX.

AMMI, est caule rotundo & herbaceo, foliis oblongis & diuisis, flore cand. paruo, cum vmbella vt anethum. seritur in hortis. venit ab Alexandria. Diosc. l.3.c. 60. & Gal.l.6. simpl.

Exiccat & calefacit 3. gradu. prodest torminibus, vrinæ diffic. & morsibus venenatis. menstrua prouocat, su-

gillata tollit, suffitu vuluas purgat. hæcque confirmat Galenus.

Mathiol. l. 3. cap.61. Mulieres fæcundas facit.



GVMMI AMMONIACVM.

CAP. XXXI.

Diosc. lib. 3. cap.86. EST ferulæ Africanæ succus, iuxta Oraculum hammonis, odore Castorei, qui emollit, attrahit, calefacit, resoluit tumores, fœtum expellit, lienem minuit, ad drachmam vnam dolores ischiadicos tollit, epilepsiæ & asthmati confert & oculorum maculis, asperitatemque palpebrarum tollit.

Gal. l. 6. simpl. Mathiol. l. 3. cap. 82. Duritiesiuncturarum tollit, quia multum emollit, lienem etiam durum emollit, & scrophulas resoluit.



AMOMVM.

CAP. *XXXII.*

Diosc l. 1. c. 14. Mathiol. cap. 14. lib. 1. EST frutex, flore paruo instar viol. alb. folio brioniæ, semine paruo & multo, vuis paruis simili, aromatico, acri

nasum. lignum eius est subrubrum
atè odorum. calefacit, siccat, som-
ım conciliat, capitis dolorem tollit,
usque inflammationem ac oculorum,
›nitur in antidotis & ad matricis mor-
os in pessariis admouetur.

Affertur falsum ex Apulia, odore ni-
ellæ & colore nigro.



AMYGDALVS.

CAP. XXXIII.

EST arbor satis nota, cuius radicis decoctum amar. tollit faciei maculas, idemque faciũt fructus, si indantur vuluæ menstrua prouocant, si fronti admoueantur dol. capitis tollunt, vlcera curant, ventrem emolliunt, somnũ prouocant, vrinasque; cum amylo hæmoptoi conferunt. renum vitiis, calculo & pulmonum inflamm. dysuriæque sunt vtiles vt & hepaticis. gummi eius adstringit & hæmoptoi confert & cum aceto cutis furfures abstergit. Diosc. l. 1. c. 136.

Dissiccant, abstergunt, lienem deobstruunt, ac iecur, & renes: colico dolori conferunt. radicum decoctũ faciei maculas tollit. Mathiol. l. 1. c. 139.



ANACARDES.

CAP. XXXIIII.

Mathiol.cap. 141.l.1. Serapio.

SIC dicuntur hi fructus à figura cordis, sunt rubri recentes, nascuntur in montibus ardentibus Siciliæ ex Serapione. sunt calid. sic. tertio gradu, memoriam, aliosque sensus corruptos restituunt, prosunt & morbis neruorum & cerebri à frig. prouenientibus, tamen, sang. vrunt & cutem exulcerant.



ANAGALLIS.

CAP. XXXV.

Fuchs. c. 6.

ANAGALLIS, est parua planta, repens, foliis pusillis, modicè rotundis, caulibus quadrangulis, semine rotundo. duæ sunt eius species, nempe mas & fæmina, mas est flore punicæo, fœmina cæruleo. inter eius species enumeratur beccabunga, berula dicta, reperitur in vineis, & aruis, ac hortis neglectis. est calida & sicca.

is succus valet ad cutem nitidam reddendam, mitigat & tollit inflam. ac cera serpentia, dolorem dentium tollit, si succus eius in contrariam narem inijciatur. ad oculorum caligines cum melle adhibetur, & ad viperarum morsus vtilis est. Diosc. l. 2. c. 163.

Aculeos corpori infixos elicit, purgat pituitam si succus naribus indatur & vulnera glutinat. Galenus.

Consolidat vulnera, & sagittarum fragmenta e corpore attrahit, vlcera desiccat & mundat. Mathiolus. l. 2. c. 174.



ANAGYRIS.

CAP. *XXXVI.*

EST arbor fœtida, folia terna vt trifolium ferens, flores brassicæ, æmulatur viticem, fert semen renis figura in siliquis. eius folia ad drachmam vnam expellunt secundinas & fætum, asthmati & partui confert, semen eius vomitum cit, fol. eius incidunt & exsiccant. Diosc. l. 3. c. 150. Gal. l. 6. simpl Math. l. 3. c. 149.



ANCHVSA.

CAP. *XXXVII.*

Diosc. l.4. c. 21. HÆC Gallicè, dicitur, *Orcanete*. radix eius est rubra & digitos tingit, fol. lactucæ sed hirsuta, radix valet ad ambusta, cum oleo, & ad vlcera vetera, curat erysipelata, lepras, vitiliginesque, confert ad fœtum mortuum expellendum, ad renum dol; icterum, febres, & ad aluum adstringendam.

Math. l. 4. c. 23. Expellit vermes latos, adstringit, & morsibus viperarum resistit.



ANDROSACE.

CAP. *XXXVIII.*

Diosc. EST vt iuncus, sed capitula lata fert, in quibus semen est, marina littora amat, euacuat aquas hydropicorum si ad drachmas duas bibatur, podagræ etiam confert.

Math. l. 3. c. 133. Est acris, vrinas mouet, ac dura resoluit.



ANDROSAEMVM.

CAP. XXXIX.

EST maior species hyperici, quæ dicitur ascyrum & androsœmum, id est, sanguis humanus, ob virgas rubéntes, vel quod semen attritu digitos cruentet. gallicè, *Millepertuis, iaunete.* Fuchsius

Semen tritum habet odorem resinæ, est maius foliis hyperico vulgari, fructum habet instar globuli, in virgarum rubrarum summitate. aspera loca amat, calefacit & disiccat.

Semen potum cum hydromelite prodest ischiad. doloribus, quia multa biliosa eiicit, illitum, ad ambusta valet. ex Galeno, magna vulnera glutinat cum vino cocta eius herba. Plinius idem asserit. Diosc. lib. 3. c. 155. 156. Gal. l. 6. de simp. fac. Plin.



ANEMONE.

CAP. XXXX.

SIC dicitur quod eius flos cum vento aperiatur, radix eius cum vino Diosc. l. 1. cap 161.

cocta oculorum inflammationes & cicatrices eorum curat, visumque iuuat, vlcera sordida etiam mundificat. folia eius si comedantur, menstrua prouocant & lac augent.

Mathiolus. l. 2. c. 172. Vim habent abstersiuam, acrem, attractiuam & deobstruentem.



ANETHVM.

Cap. XXXXI.

Fuchsius. c. 9. ANETHVM, Græcè, *ανηθον*, Gallicè, *Escarlatte.*

Est sesquipedale, multis caulibus ornatum, ramosum, foliis exiguis, flore luteo, paruo, semine lato, vt in fæniculi vmbellis proueniente. in hortis colitur. fugat tineas à vestibus, calefacit in tertio gradu remissè, exiccat secundo. Diosc. l. 3. c. 57. semen & comæ decoctæ lac euocant si bibantur, tormina sedant, vomitus & & alui fluxus mediocres sistit, vrinam prouocat, singultus lenit, suffocationi vteri confert.

Gal. l. 6. de med. simpl. fac. Sedat dolores in oleo coctum, digerit, somnum conciliat, tumores maturat. vstum valet ad vlcera humidiora &

æcipuè pudendorum, somniferum est. Math.
em ait Mathiolus. l. 3. c. 58.



ANGELICA.

Cap. XXXXII.

SIC vocatur, vt & radix sancti Spiritus ob magnas vires, est & Syluestris Fuchsius.
licta astrensia, hæc autem est inodora. ert caulem bicubitalem, concauum, folia habet smyrnii, serrata, florem candidum, semen foliaceum, rad. crassam nigricantem extra, intus albam.

Calefacit & desiccat tertio ordine, aperit, discutit, venenis resistit, pesti cōtagioque præcipuè, tussi à frigore medetur, pituitam digerit. herba hæc cocta in vino, glutinat. curat vulnera, sanguinem concretum soluit, stomachum roborat, cor. recreat & appetitum restituit, ad lassitudines & libidines tollendas valet.

Syluestris præstat, aperit, attenuat, & Math. l. c. 111.
resoluit, est antidotum ad venena & pestem, curat tussim, decoctum eius crassos humores expectorat, vlcera interna

ſanat, cardialgiæ & morſibus venenatis confert.



ANISVM.

Cap. XXXXIII.

APIO ſimile eſt, flore candido, tota planta odorata eſt. naſcitur in hortis. calefacit & deſiccat tertio gradu.

Dioſc. l. 3. c. 55. Dolores leuat & halitum emendat, vrinas cit, ſitim hydropicorũ tollit, ad venenata & alba menſtrua valet. lac euocat, capitis dolorem ſuffitu tollit. tritum cum oleo roſaceo medetur narium rupturis ſi inſtilletur.

Galenus. Digerit, ventris inflammationes tollit & vrinas cit.

Simeô Sethus. Iecori frigido medetur eiuſque obſtructionibus flatibuſque ventris.

Mathiol. l. 3. c. 56. Aperit, incidit, digeſtionem iuuat. flatus pellit, halitum corrigit, calculo confert, dyſuriæque & ſomnum conciliat.



ANONIS.

CAP. XLIV.

DICITVR & ononis & resta bouis & remora aratrum quod boues ſtat dum arant, & acutella ob aculeos ſt enim vel ſpinoſa, vel viſcoſa. Onois vero dicta eſt quod aſinos ſcabentes iuuet, Gallicè *Bugraue*, & *arreſtebœuf.*

Ramos habet plurimos, frequentibus geniculis, folia exigua, capitula rotunda, cum ſpinis in ramis, rad. candid. flore minutò cum ſiliquis. Naſcitur in ſolo pingui ac glutinoſo. Tertio gradu calefacit.

Cortex cum vino potus vrinam cit, calculos rumpit, dentium dol. collutione mitigat, decoctum eius potum hæmorrhoidibus medetur. Idem ait Galenus. Dioſc. Gal. l. 3. c. 19.

Radix calculos renum frangit & herniam carnoſam curat, labia dura vlcerum abſumit, cum aceto tollit dolores dentium, radicis decoctum potum curat hæmorrhoides, iecoris obſtructionibus prodeſt, & vrinas mouet. Mathiol. l. 3. c. 18.



ANTIRRHINVM.

CAP. XLV.

Diosc. l. 4. c. 115. DICITVR ob figuram florum nares vituli; est vt viola alba sed purp. & minus. cum oleo liliorum fucus est.

Mathiol. l. 4. c. 128. Gal. l. 6. simp. Cum oleo rosf. valet ad suff. vteri, & ad ocul. cicatrices. Idem ait Gal.



ANTIMONIVM.

CAP. XLVI.

Diosc. l. 5. c. 64. EST minerale plumbeum, striatum, refrigerat, obstruit poros, oculorum vlcera & sordes mundat, plumbi vsti vires habet, ambustis prodest, sang. sistit à cerebro.

Mathiol. l. 5. c. 59. Galen. l. 9. simpl. Aluum laxat, ad quid, miras refert historias, eiusque docet præparationem, in collyriis commendatur, desiccat & adstringit vide Galenum.



APARINE.

CAP. XLVII.

DICITVR aliter omphalocarpos quia vmbilicum refert eius fructus, ut & philanthropos quia adhæret transeuntibus, vnde & asperula & aspergula. Italicè, speronella a foliorum dispositione instar calcaris rosæ, Gallicè, *grateron & rieble*. Dicitur & à nonnullis lappago, quod vt lappæ fructus adhæreat.

Habet multos ramulos quadrangulos asperos, calcaris instar dispositos per interualla, flore albo, semine duro & candido. Nascitur inter frumenta & circa sepes. Fuchsius.c.14.

Detergit & deficcat ex eod. Fuchsio. Succus eius infusus, doloribus aurium medetur, herbaque trita cum axungia, strumas discutit. Idem ait etiam Renodæus, de materia Medica. Dioscor. l. 3. c. 92. Renod. l. 1. c. 22.

Succus optimè solidat recentia vulnera & papillas fissas, aqua confert dysenteriæ, puluis curat vlcera. Vide Galenum de ea. Mathiol. l. 3. c. 88. Gal. l. 6. simp.



APIOS.

CAP. XLVIII.

DICITVR & Iſchas & Chamæbalanos quod radices in ficus vel glandes extra nigricantes turbinenrur. Gallicè, *chiche ſauuage.*

Duos aut tres iuncos emittit rubentes & folia rutæ habet, naſcitur inter frumenta.

Dioſc. l. 4. c. 155. Plin. Mathiolus. l. 4. c. 170. Radix eius purgat bilem & pituitam (datur hydropicis cum mulſa ex Plinio) eius glandes ſi comedantur, nauſeam mouent. Vide Mathiolum.



APIVM.

CAP. XLIX.

EST vel Oreoſelinum id eſt Montanum, Selinum enim eius nomen eſt, vel petroſelinum ſeu apium Saxatile, & Macedonicum, &c.

Eſt calidum & acre cum amaritudine

inam cit & menſtrua,ad tormina & in- Dioſc. l. 3. c. 64. 66. 67.
ımmationes coli valet, vt & ad dol.la-
rum, veſicæ & renum in vino pota ra-
x, aut ſemen, vrinam ait & menſes,
iſcetur antidotis. Idem cit Galenus, Gal. l. 6.
cidit, flatuſque extinguit. Vide Ma- Math l. 3.c.64.
ıiolum.



AQVA-VITÆ.

CAP. L.

FIT è vino arte chimica, corruptio-
nem arcet, à Lipothimiis reuocat,
omachi dolorem pellit, ventos & om-
es paralyſes, morbos frig. cruditates
ertigines, Melanch. & Letharg. curat,
ypochondriacis, palpitationi cordis
emoribuſque confert, viſumque clari-
cat.



AQVILÆ LAPIS.

CAP. LI.

GRÆCE dicitur aëtites ab aquila,
Gallicé, *pierre d'Aigle*. Continet in

ſe alium lapidem mobilem, creditur ab aquilis in nidis reponi vt facilius oua reddant, reperitur in Africa & Cypro inſula Arabiaque, eius nucleus, callimus dicitur.

Mathiol. l. 5. c. 118.

Dioſc.

Brachio alligatus fœtum retinet ne abortiat, ſed fæmori, partum iuuat. Valet & ad Epilepſiam.



AQVILEGIA.

CAP. LII.

Math. Fuchſius.

DICITVR Gallicè, *ancholie & eſglantine*, à nonnullis ex Math. creditur chelidonium. fol. chelid. majoris habet, fl. purp. cum multis caudis inuerſis, infra inſtar loculorum diſpoſitis. reperitur in hortis, ac ſyluoſis locis. ægylopis vires habet, & præterea valet ad ſcabies & fiſtulas cum farina triticea.

Mathiol. l. 2. c. 176.

Eius ſemen ad dragmam vnam cum vino & croco potum curat icterum ſed ſudandum eſt.



GVMMI ARABICVM.

Cap. LIII.

HOC Gummi ex acacia arbore ſtillat, apud Arabes,vnde ei nomen, frigerat & incraſſat, aptum eſt ad morbos oculorum & tracheæ arteriæ & obſtruit poros cutis. Renodeus. de mat. med. l. 1. c. 3. ſect. 7.



ARBVTVS.

Cap. LIV.

ARBVTVS, Vnedo etiam dicitur, quod vnus ſimul tantum comedi poſſit.

Habet fructum vt prunum (vel potius fragum) ſine nucleo, nocet ſtomacho & capitis dolorem facit. Dioſc. c. 135. lib. 1.

Habet folia lauri, craſſa & denticulata, fructum vt fragum, prodeſt peſti. Eſt aſper guſtu & vocant eum memæcylon & κόμαρον. Gallicè, *arbouſsier*. Mathi. l. 1. cap. 138. Gal. l. 7. de ſimpl.



ARGEMONE.

Cap. LV.

Diosc. l. 2. c. 162. EST vt papauer rheas, folio anemones, flore rubro, oculorum nubeculas & maculas tollit eius ſuccus, folia vero eorum inflammationem mitigant. Mathi. c. 173. l. 2. Curat neruos retractos, & bibitur contra morſus ſerpentum vtiliter cum vino, & ad vulnera ſolidanda & ad dyſenteriam.



ARGENTVM.

Cap. LVI.

Renodæus de mat. med. l. 2. ſect. 3. c. 2. EODEM pacto ac cuprum ſumitur id eſt vſtum, ſed olæum eius à Chimicis ex tollitur ad omnia cerebri vitia. Præcipuè epilepſiam.



ARGENTVM VIVVM.

CAP. LVII.

A CHIMICIS dicitur mercurius ob mutabilitatem.

Viscera corrodit, sed remedium est multum deglutire, vel decoctum ori, origani, aut hyssopi, optimum est m auri scobem haurire. Diosc. l. 5. c. 75.

Cum sale armoniaco ex eo fit sublitum quod est venenum. Mathiolus. l. 5. c. 70.

Datur ex Brasauolo mercurius pueà vermibus morientibus, nam statim antur. Ad luem veneream præstanmus est, & ad vlcera difficilia mira it.



ARISTOLOCHIA.

CAP. LVIII.

ARISTOLOCHIA sic dicitur quasi ἀρίστη ταῖς λοχοῖς. id est optiad secundinas puerperarum expeldas.

Diosc. Est triplex, rotunda seu fœmina dicta pistolochia, longa seu mas, & clematites seu sarmentaria. Rotunda habet radicem rotundam, vnde ei nomen, albus flos eius grauè olet, folia sunt hæderæ. Longa est foliis longioribus, flore purp. in vineis, pratis, ac nemoribus reperitur.

Diosc. l.3.c.4. Est calida & sicca secundo gradu: longa pota & illita valet ad venena & contra serpentes, menses, ac secundinas & fœtus ex vtero educit in pesso, vel pota cum pipere & myrrha. Rotunda ad eadem valet, & asthmati, singultui, rigori, ruptis, lieni, conuulsioni, laterisque doloribus illita educit squamas ossium & spicula, putrida tollit & vlcera sordida repurgat.

Plinius Math. l.3.c.4. Vlcera caua carne replet, & vsurpatur in aquis vulnerariis. Longa melior est ad fotus matricis & exulcerationes. Rotunda ad dol. ex ventis & obstruct. Elicit sagittas, putred. arcet, vlcera sordida mundat, dentes dealbat, iuuat asthmaticos, ruptos, conuulsos: Rad. pur-

Galen. gat ex Gal. humores phlegmaticos & pulmones mundat, pectusque, & choleram educit.

x radice rotundæ fiunt aquæ vulriæ dictæ quæ in vulnera injiciun-



LAPIS ARMENVS.

CAP. LIX.

3 Armenia venit, est leuis, ex cæ- Morellus.
'uleo viridis, friabilis, calidus siccus
ndo gradu, purgat Melanch. & curat
bos ab ea prouenientes; corrigitur
a rosarum, & buglossi. Dosis est à
;ma dimidia ad vnam, vomitum dat, Math. l. 5. c. 65.
ielancholiam educit.



SENICVM. AVRIPIGMENTVM ET SANDARACHA.

CAP. LX.

MINERIS eliciuntur, aureum au- Diosc. l. 5. c. 86. & c. 85.
ripigmentum præstat, adstringit, &
rodit, escharras promouet, depilat &
ies excrescentes absumit. Ex auripi-
:nto fit arsenicum.

Mathiol. l. 5. c. 80. Easdem vires habent, & ex iisdem fodinis eruuntur, differuntque tantum quia auripigmentum est rubrius & magis coctum. Quam sandaracha. Est & alia sandaracha, quæ est gummi juniperi, quare cauendum, ne hæc pro illa capiatur, Nam mineralis venenata est. Vide Gal. l. 9. simpl. Gal. l. 9. simpl.



ARTEMISIA.

CAP. LXI.

Fuchsius. macer. SIC dicitur ab Artemisia Regina quæ eâ vtebatur, vel potius ab Arthemide seu Diana, vnde &, Parthenis, seu virginalis dicebatur, quod fœminarum morbis medeatur, quibus Diana præest. Gallicè dicitur, *arsenise*, *herbe saint Iean*, & *armoise*, dicitur & zona Iohannis, quia olim nocte eius festi, mulieres eam cingebant vel errore quod Iohannes illam tulisset, vel vt pro amuleto: dicitur & mater herbarum.

Fuchsius. cap. 13. Est fruticosa, absinthio similis, foliis subter candicantibus, floribus exiguis, albis, graue olentibus, semine rotundo.

Triplex reperitur, latifolia, tenui Diosc.
& monochlonos seu vnicaulis, quæ
atur etiam tanacetum vel tagetes.
secunda Fuchsius, matricariam à Fuchsius.
trice, cuius morbis conuenit dictam,
nprehendit; est & alia marina dicta.
Bauhino. Amat loca inculta & aqua- Bauhin in phytopinace.
l.
Calefacit secundo gradu, siccat primo. Diosc. l. 3. c. 115. & l. 5. c. 115.
ucit fœtus, menses & secundinas
lierum, valet ad vteri suffocationem
inflammationem, calculos frangit,
æ suppressæ medetur, ventri tantum
nota menses iuuat, vt & eius comæ
tæ ad drachmas tres. Stomacho tu-
mponitur, cum oleo amygd. ad sto-
chi vero & neruorum dolorem adhi-
ur eius succus cum ol. rosac.
Galenus eam ad vteri fotus & calcu- Galen.
probat. Fuchsius verò ait, tanaceti Fuchsius.
es cum lacte epotos lumbricos pue-
um mire expellere.
Ex eius foliis cum myrrha & oleo Mathiol. l. 3. c. 110.
ficubus contusis bona fiunt pessaria
natricis morbos, menstruaque ac se-
ndinas educit, vt & fœtum mortuum
adix etiam propinetur. Cum adipe
dest colli scrophulis. Puluis folio-

rum ad drachmas tres valet ad dol. Iſchiadicos & ſuccus eorum potus valet ad opij venenum.



ARVM.

Cap. LXII.

ARVM dicitur etiam iarrum vel iarrus & pes vituli, ob figuram foliorum, vt & ſerpentaria minor, quod maiorem flore imitetur. dicitur & virile ſacerdotis vel canis, ob figuram ſeminis ſpicæ. Gallicè, *Chicotrin, aron, vit de chien.*

Eius radix alba eſt, & ſemen rubrum, amat ſyluas & loca vmbroſa ac humida. calefacit & deſiccat ex Gal. primo gradu. vires dracunculi habet, radix illita cum fimo bubulo podagræ prodeſt. Extergit. radix vero comeſa humores incidit & prodeſt exſcreationi.

Galen. Dioſc. l. 2. c. 152. Galen.

Plinius Vrinas & menſes cit ſi aridum bibatur. ad tuſſim coctũ in cinere editur, iuuat exſcreatũ; in pleuritide, tonſillis imponitur. ſemen cum oleo aurium dolori inſtillatur, cum melle curat vlcera omnia & polypos, folia cum oleo ambuſta curant.

Discutit, & extenuat, detergitque; ium tumoribus, strumis, schirrisque detur, puluis radicis eius carnem sucrescentem tollit. Fuchsius.

Certò cancrum curat vt serpentaria, qua vltima mira refert. Sennertus.

Cocta radix & cum melle data phlegma pectoris educit, quare ad tussim datur, admouetur ad fluxus immoderatos; i oculos ad tonsillarum inflammationes & contusiones, hæmorrhoidibus que inflatis. curat vlcera corrosiua. olia curant polypos nasi & podagræ conferunt; semen menstrua prouocat. Mathiol. l. 2. c. 162.



ASARVM. ET ASARINA.

Cap. LXIII.

Α'ΣΑΡΟΝ, dictum sic est quod coronis non addatur, dicitur & bacchatus, quod eo bacchus coronari potuerit, cum sit instar hederæ, Gallicè. *Cabaret*, per metathesim. pro baccharet, *&* *oreille l'homme*, ob figuram. Plinius l. 21. c. 6

Habet folia hederæ sed molliora & Fuchsius, c. 13

rotundiora, flores purp. odoratos circa radices longas & obliquas instar graminis. duæ sunt eius species, asarum & asarina seu hederula. amat vmbras syluas & montes.

Bauhinus.

Est calid. & sicc. tertio gradu.

Diosc. l. 1. c. 9. Rad. eius vrinas mouet, quare prodest hydropicis & ischiadicis, menses ciet pondere 6. drachmarum cum mulso pota. tussi veteri & spirandi difficultati prodest, folia igni sacro, oculis inflammatis & capitis dol. admouentur, vt & mammis à partu tumentibus, somnumque conciliat, ex Crateua.

Crateuas.

Galen. Acori vires habet.

Fuchsius. Eius lixiuium Cerebrum & memoriam roborat, & cum pompholige eius succus ad oculos caligantes prodest.

Renodeus. Laudantur eius rad. ad 4. scrup. cum vino albo potæ, ad anasarcam & obstructiones iecoris & lienis.

Mathiol. c. 9. l. 1. Oleum eius cum ladano sudores prouocat, eo spinam dorsi perungendo, valetque ad icterum, opilationes & febres tertianas vel quartanas longiores. vomitus cit, & bilem ac phlegma educit.

ASARINA.

ASARINA.

ASARINA habet fol. rudiora, florem luteum & detergit, incidit, aperit, purgat & tollit dolores podagræ & luis venereæ, vtilis est etiam hydropi, ictero, epilepsiæ, paralysi vermibus necandis, & menstruis ac vrinis prouocandis. Math. ibid.



ASCLEPIAS

Cap. LXIIII.

ASCLEPIAS sic dicitur, ab Æsculapiò, ab aliis vincetoxicum, & hirundinaria quod instar earum dehiscant eius siliquæ, Gallice, *Dompte venin.*

Habet folia hederæ, radices multas tenues odoratas, semen securidacæ, flor. cand. cum siliquis fusiformibus plumacea lanugine plenis. Amat montes & loca aspera, herbosa syluosaque.

Est cal. sicca. Paulus & Diosc. l. 3. c. 94. Plinius

Eius radix cocta cum vino & pota tollit tormina & morsus venenatos cu-

rat, mammarum vero vitiis & vteri folia illita prosunt.

Fuchsius. Radices eius optimæ sunt ad menstrua prouocanda, & ad morsus serpentum & canum rabidorum. Epota hydropicis auxiliatur. Puluis foliorum vulnera curat si inspergatur eis, vlcera mundat & claudit, medeturque genitalium vitiis & rupturis.

Mathiol l. 3. cap. 90. Ad omnia valet venena & pesti, ictero, tussi, menstruis, sudoribus ac vrinis ciendis, vteri dol. tollit, vermes necat.



ASPARAGVS.

CAP. LXV.

Fuchsius c. 17. ASPARAGVS dicitur quod aspero virgulto nascatur, Gallice, *asperge.* Myacantha & corruda, sunt species eius ex Bauhino & Fuchsio. Fœniculum refert, flore est paruulo, spinas tandem acquirit. In hortis seritur, & circa sepes.

Bauhinus in pynace

Diosc. lib. 2. c. 111. Abstergit, eius caules comesti aluum laxant & vrinas, vt & rad. decoctum confert ictero, nephritidi, Ischiadi, dentium dolori vero collutione oris.

Laudat etiam hanc plantam ad dentes, ad renes & jecur mundandum. Gal. l. 6. de med. simpl.

Ait Valere contra Sang. menstruum suppressum, & semen augere. Simeõ Sethus

Opilationem jecoris tollit, rad. vero ac semen dentium dolores. Mathiol. l. 2. c. 118.

Vsus eius in cibis visui confert vt & dolori pectoris ac dorsi, excitant ad venerem, ac aluum emolliunt. Plin. l. 20. c. 10



ASPHODELVS.

CAP. LXVI.

DICITVR etiam hastula regia ob proceritatem. Gallicè, *afrodilles.*

Flores habet maculatos & radices multas rapiformes, mas habet folia porri & albucus dicitur, fœmina vero angustiora. Nascitur in montibus. Radix est calida & sicca.


Pota radix vrinas & menses mouet ad drachmam vnam sumpta, valetque ad tusses, conuulsiones, & ruptiones; vlcera sordida curat. Fotus eius vtiliter ad morsus serpentum adhibetur. Diosc. lib. 2. c. 154.

Ad furunculos, ad mammarum & testium inflam. cinis eius cum oleo alope-

cias pilis implet, ad scorpij ac scolopendræ venenum prodest, & dol. dentium mitigat.

Gal. l. 6. med. simpl. Radix eius extergit & discutit, deobstruit & emollit, quare optima est ad arquatos.

Mathi. l. 2. c. 164. Pota radix ad venerem impellit, cum aceto valet ad scabiem, est enim abstersiua & resolutiua, alopecias tollit. Galenus etiam & Aëtius asserunt menstrua prouocare. Galen. Aëtius



ASTER ATTICVS.

CAP. LXVII.

ASTER Atticus sic dicitur à figura floris & quod in attica regione copiose veniat, aliter, bubonium & inguinalis, quod inguinum bubonibus medeatur. Gallice, *herbe à l'estoile.*

Habet folia oblonga, & hirsuta, florem instar Chamæmeli. Refrigerat, digerit & exiccat.

Diosc. lib. 4. c. 103. Illita hæc planta, oculorum inflamm. & procidentiæ sedis confert, flos potus cum aqua anginam tollit & comitiali morbo opitulatur.

Bibitur aduersus serpentes, prodest & coxendicis dolori, ei alligata. Plinius

Curat gutturis & inguinum tumores, refrigerat, repellit, ad vulnera interna & externa ualet & ad rupturas si aqua eius distillata propinetur, vt & ad mulierum sterilitatem arcendam. Admota mammas imminuit. Galen. lib. 6. simpl. med. & Math. l. 4. c. 115.



ASTRAGALVS.

CAP. LXVIII.

ASTRAGALVS ciceres æmulatur, & habet rad. rotundam, vmbras amat, frequens est in Arcadia. eius radix pota aluum sistit, vrinas mouet. vlcera vetera curat & sang. sistit. aluum sistit & Antiqua vlcera sanat. Diosc. lib. 4. cap. 52. Mathi. lib. 4. cap. 57.



ATRIPLEX. SPINACIA

CAP. LXIX.

DICITVR etiam atraphaxis, Chrysolachanon, ob florem luteum

olus Hiſpanicum & ſpinacia ob ſeminis ſui ſpinas, Gallice, *Arroches, & bonnes Dames*. eſt ſyluestris & hortenſis, habet caulem & ramos quadratos. eſt humida planta ſecundo gradu & frigida primo,
Galen. Dioſc. lib. 2. cap. 107. ideoque refrigerat & humectat. digerit phlegmones & phygethlas, aluum mollit, ſi admoueatur, panos diſcutit, ſemen potum cum aqua mulſa morbum regium curat.

Mathi. lib. 2. c. 112. Aluum mollit, flatus facit, vomitus concitat, ſtomacho nocet, gutturis aſperitates tollit. ſuccus valet contra venenum ſcorpii, ſemen abſtergit, iecur deobſtruit; & purgat & vidi quemdam coruſticos omnes purgantem.

Simeõ Sethus Cum malua ſi illinatur, inflammationes ſedat, valentque ad ičterum & calorem iecoris.



AVELLANA.

Cap. LXX.

NVCES Auellanæ, Ponticæ & Prænestinæ a regionibus dictæ sũt, barbatæ vero ab inuolucris, & paruæ ad iuglandium differentiam. Corylus ar-

bor earum eſt, Gallice, *Coudrier*, nemora monteſque amat.

Stomacho aduerſantur. tritæ tuſſi veteri cum aqua mulſa propinatæ Medentur. toſtæ & cum pipere comeſæ deſtillationem maturant, vſtæ & tritæ cum axungia, alopeciæ medentur. Dioſc. l. 1. c. 139.

Difficile coquuntur; inflationes faciunt, veneno ſcorpionum proſunt, bilem ac dyſenteriam augent & prouocant ſi iis nimium vtaris, earum cineres cum adipe vrſi pilos regenerant, putamina puluerata & pota cum vino menſtrua alba & alui fluxus ſiſtunt. Alexiteriæ etiam ſunt. Simeō Sethus Mathi. lib. 1. c. 142.



AVENA.

CAP. LXXI.

AVENA, Græce, *βρῶμος* dicta, ex Galeno calefacit & exiccat mediocriter. Galen.

Vtilis eſt ad cataplaſmata, puls eius aluum cohibet, ſuccus eius prodeſt tuſſientibus. Dioſc.

Vires hordei habet, illita digerit & Galen.

deſiccat. Adſtringit aluum.

Plinius Farina eius cum aceto næuos tollit.



AVRVM

CAP. *LXXII.*

Reno- dæus.l. 2. ſect. 3. cap. 1. de mate- ria med.

AVRVM, deobſtruit puellas ſi eo vtantur vt de ferri ſcobe fieri ſolet, cor recreat, melancholiam arcet, corroborat & ideo multis miſcetur medicamentis.



BALSAMINE.

CAP. LXXIII.

BALSAMINE ſic dicitur quod vt Balſamum vulnera ſanet vt & pomum Hyeroſolimitanũ à regione, pomum mirabile & Gallicé, *Merueilles*, ob effectus. dicitur & Charantia. mas eſt folio rotundiore, fæmina longiore, habet flores cucumeris cum capreolis, pomum eius maturum diſſilit, ſemina pomi ſeminis formam habent. colitur in hortis, exiccat ſecundo gradu & modi-


ce calefacit, ex feminibus eius fit oleum ad vulnera ex Hermolao &c. vt de telephio. Her-molaus



BALSAMVM.

Cap. LXXIIII.

EST arbuſcula vt pyracanthum, ſemperuirens, foliis rutæ ſed candidioribus, reperitur apud ægyptios & circa Iudæam, ſub canicula inciditur vnde ſtillat oleum dictum opobalſamum, fructus dicitur carpobalſamum & lignum xylobalſamum. ſuccus eſt calidus & morbis matricis mirè conuenit, expellit ſecundinas, menſes & fætum mortuum; Vnctione febrium rigores mitigat & oculos mirè clarificat, vlcera, vulneraque ſanat, vrinas cit, venenis reſiſtit & ſumptus oris fœtorem tollit. Vt à falſo diſtinguatur notandum eſt guttam eius in aqua in ſtellæ formam extendi, quare error eſt fundum petere debere. Vide de eo Mathiolum & proſperum alpinum qui de eo librum integrum conſcripſit. Diosc. l.1.c.18 Mathi. l.1.c.18 Proſper Alpin.



BARBA CAPRÆ.

CAP. LXXV.

DIFFERT à barba hirci pratorum, florum figurâ, & hæc in ſyluis delectatur.

Habet caulem anguloſum, tricubitalem, & folia caſtaneæ, ſerrata, florem album & racemoſum, inſtar barbæ longum, radicem nigram & amaram & ob id calidam & ſiccam, valdè abſtergit, expurgat, incidit, menſes & pus thoracis vel pituitam educit, morbo comitiali confert, extra vero tumores pituitoſos diſcutit.

Quod ad barbam hirci vide ſcorzoneram.



BARBARÆ HERBA.

CAP. LXXVI.

HÆC planta à Sancta Barba denominata eſt, eſtque, caule rotundo, ſtriato, laciniato vt eruca, flore luteo

cum ſiliquis, radice oblonga, amat campos, eſt ſubacris & calida ſicca: quod ad vires, eſt vulneraria, valet etiam ad vlcera in quibus eſt caro ſupercreſcens quia ſiccat valdè & extergit, ideoque carnes minuit.



BDELLIVM.

CAP. *LXXVII.*

EST Gummi Sarracenicum, diaphanum amarumque, bonum ſpirans odorem ſi vratur. Confert Bronchoceli & Hydroceli, matricem deobſtruit, calculos conterit, vrinas cit, tuſſim tollit, ad ictus ſerpentum valet & ſpaſmos. Dioſc. l. 1. c. *66.*

Ad dolorem lateris commendatur. Mathi. l. 1. c. *69*



BEHEN.

CAP. *LXXVIII.*

BEN vel behen, aliter glans vnguentaria, vel balanus myrepſica eſt fructus vt auellana, triangularis, ab Africa veniens, & Arabia qui potus ad drach- Dioſc. lib. 4. c. 139.

mam vnam, lienem absumit, podagræ admouetur etiam, tollit cicatrices nigras, lentigines, pustulas & alia faciei vitia, vomitum cit, & ad pruriginem vtilis est.

Mathi. lib. 4. c. 154. De quo vide Mathiolum.

Vide caput lychnidis.



BERBERIS.

CAP. LXXIX.

BERBERIS, Græcè oxyacantha id est spina acuta, Gallice *espine vinete* ob spinas suas & vinosum saporem. Alias *fustet* dicitur. Amat hortos & vmbras, adstringit & desiccat, fructum rubrum paruum & racemosum fert.

Diosc. lib. 1. c. 101. Menses & aluum sistit, radix ventri illita abortum inducit & aculeos elicit.

Galen. Pota fluxiones omnes sistit, habet vires pyri syluestris.

Ad febricitantium ardores datur, & fructus eius conditus recreat appetitum.

Mathi. lib. 1. c. 105. Plura vide apud Mathiolum.



BERVLA.

Cap. LXXX.

IDEM sunt Berula, anagallis aquatica à florum similitudine cum anagallide, lauer, quod aqua lauetur & sium ἀπὸ τοῦ σείειν, à concutiendo, Gallice, *Berle & Cresson*, àquibusdam cressio.

Amara est, ideoque Calida.

Comesta Calculos minuit & excernit, vt & vrinas, Menstrua & fœtus. dysenteriæ etiam confert. Diosc. l. 2. c. 113.

Digerit & calculos frangit. Galen. lib. 6. simpl.

Menstrua prouocat vrinasque, & conterit calculos renum. Mathi. l. 2. c. 174.



BETA.

Cap. LXXXI.

BETA dicitur etiam teutlum, Gallice, *reparée, lote, Porée vel poirée* quod folia pyri æmuletur. *& bete*, à beta, quod literam B. aliquo modo ef-

Mathiolus fingat. est candida vel nigra, & frigida humida secundo ordine vel gradu.

Diosc. lib. 2. c. 109. Nigra aluum cohibet, succus naribus haustus purgat caput, & medetur dolori aurium, decoctum radicum lendes & furfures detergit. perniones fotu mitigat, valet & ad alopecias, alphos & pruritus ac vlcera depascentia, ambusta, erysipelata & exanthemata.

Galen. lib. 6. simpl. Ad iecoris obstructiones & lienis cum aceto valet, si edatur.

Plinius Alba mollit aluum. ictero prodest & vertigini.

Mathi. l. 2. c. 115. Nocet valde stomacho, Choleram generat, insipida est, (vnde Menander ait olim maritos sic vxores vocasse) al-

Menander uum soluit, adeo vt fæces induratas eiiciat clysteribus frustra vsurpatis, morsibus venenatis resistit, & vermes cum lacte sumpta enecat.



BETONICA.

Cap. LXXXII.

BETONICA & Vetonica, Græcé, cestrum, id est, opus interpun-

ctum Gallicè, *Betoine*, ab aliis, herba sancta, est planta cubitalis, foliis longis vt saluia romana & denticulatis, flore spicato. amat loca frigida & Montana. est calida & sicca primo gradu.

Siccantur eius radices vt pituitosam vomitionem eliciant cum hydromelite, folia dantur ruptis, conuulsis, vuluæ affectionibus & strangul. vt & ad morsus serpentum aliaque venena. vrinas & aluum ducit, iecinoris & lienis vitiis prodest, coctionem iuuat, hæmoptoim tollit, icterum minuit, menses ducit, & tabidis medetur. Diosc.

Incidit, lapides renum rumpit, thoracem & iecur purgat, ischiadi medetur. Galen.

Serpentes in eius circulo moriuntur, quare datur ad eorum ictus, ex ea fit vinum & acetum ad oculorum claritatem & ad lateris & pectoris dol. paralysim etiam sanat, est & vtilis tabaci forma si eius fumus hauriatur, ad tabem & pulmonis vitia. Plinius

Febres quotid. & tertianas ac quartanas tollit, hydropi confert, dolori matricis à frig. paralysi, neruis ruptis. Carbunculos curat, dat appetitum & vene- Mathi.

Id. l. 4. cap. 1. nis resistit. Trita vulnera capitis statim curat, ossaque rupta expellit. Decoctum tollit dol. oculorum & aurium, sang. narium sistit, visum acuit dol. dentium tollit & stomachi, ac renum, vt & tussim.

ALIA.

Diosc. EST alia species betonicæ, seu vetonicæ, *armoire* seu *œillet* dictæ, quæ vulneribus confert, somnum conciliat, ossa fracta extrahit, dolorique capitis medetur; & quartanæ, carcinomati, pesti, partui, aciei oculorum, podagræ & fastidiis confert.



BEZAAR.

CAP. *LXXXIII.*

Renodæus. cap. 22. l 3. mat med. EST lapis animalis Indici in quo reperitur tunicatim instar cepæ dispositus, subuiridis, cum orientalis est, cinereus verò si occidentalis.

Auic. Ex Auicenna valet aduersus omnia venena, reperitur in Perside & China Monardes. frequentius, in specie capreoli & dicitur à, bel, id est, Dominus & zaar venenum quod venenis imperet, in aluo illius animalis

malis reperitur & habet festucam vel aliquid in medio lapidis, cui adhæret & innascitur; deinde vt vnio crescit membranarum coaceruatione. Valet ad pestem, lipothymiam, suffocationem vteri, variolas, exanthemata, &c.



BISLINGVA.

CAP. LXXXIV.

LAVRVS Alexandrina, dicta est sic, quod eâ Alexander coronatus fuerit, dicitur & Idæa à Monte Ida, vbi reperitur, hyppoglossū, id est lingua equi à figura; vuularia quod vuulæ conferat, bonifacia, & bislingua quod è medio foliorum quasi linguam emittat: ruscum æmulatur. Amat loca montana, est calida sicca; radix cum vino pota ad dragm. vi. partū facilitat & vrinæ stillicidium curat, menses elicit. Diosc. l. 4. c. 114. & 127.

Vrinas menstruaque cit. Galen. lib. 6.

Secundinas pellit & partum juuat. Plinius

Columellæ fauciumque morbis adhibetur, iisque suspensa solummodo, prodest. Fuchsius.

Valet ad matricis morbos, adeò vt Math. l. 4. c. 127 & 142.

cochlear vnum pulueris radicis eius, reuocet subitò à suffocatione mulieres, valet etiam ad rupturas puerorum. Vrinas & menses prouocat.



BISTORTA.

Cap. LXXXV.

EST mas & fœmina, habet fol. rumicis, sic dicitur, vt & serpentaria quod rad. inuolutam habeat; florem habet spicatum & caulem iunceum, differt tamen à dracontio. radix eius adstringit, refrigerat & exiccat. glutinat vulnera, fætum retinet.

Mathi. lib. 4. cap. 2. Epota impedit abortum, sistit vrinarum fluxus, pota cum aqua plantaginis, & menstrua retinet, vt & sang. vulnerum, est alexiteria, aptaque pesti & febribus pestil. Vlcera pertinacia & dysenteriam curat & hæmoptoim. Si eius radix cauis indatur dentibus, dolorem eorum tollit. Tandem ictibus serpentum resistit.



BITVMINA. NAPHTHA. PISSASPHALTVM. MVMIA.

CAP. LXXXVI.

BITVMEN Iudaicum cæteris præstat, est quasi pix fusa aquis innatans, præcipuè lacubus, & à lacu asphaltite asphaltum dicitur, eo vtebantur olim loco calcis ad lapides optimè conjungendos in ædificijs memorandis. Est ponderosum, subnigrum & fœtens. Diosc. lib. 1. cap. 80.

Naphtha est eius colatura, ad se ignem alliciens. Omne bitumen resoluit, consolidat & emollit, curat matricis suffocationem, menses prouocat, tussi confert, spirandi difficultati, canum morsibus, & ischiad. dolori, sanguinem coagulatum dissoluit, lethargo & dol. iuncturarum prodest. Idem l. 1. c. 85.

Pissasphaltum mixtum est è pice & bitumine, hoc cadauera condiuntur, vnde mumia deinde vsurpatur, quæ est caro sic condita, quæ prodest hemicraniis, aliisque capitis doloribus, paralysi, vertigini, oris torturæ, epilepsiæ, naso attracta cum aqua maioranæ; quatuor eius Math. lib. 1. cap. 83.

gemma cũ decocto satureiæ iis conferunt, vt & tussi si per triduum sumatur cum hordei decocto. Præterea valet ad ventos intestinorum, ad singultum, cardialgias & morbos splenis: hæmorrhagias extra apposita sistit, curat vlcera vesicæ & virgæ. Tandemque cum vino sumpta prodest ad ictus scorpionum. De bituminibus vide Libauiũ qui de iis librum composuit.



BLATTARIA.

Cap. LXXXVII.

Fuchsius.

BLATTARIA est planta verbasco similis, sed foliis oblongioribus, à colligendis blattis dicta, flore luteo, amans ripas, & calida ac sicca: adeò est tapso similis, vt pro eo ab ignaris sæpe capiatur. Vires verbasci habet, quas ab eius capite repete.



BLITVM.

CAP. LXXXVIII.

BLITVM sic dictum est quod sit fatuum olus & quasi iners, sponte in hortis nascitur, est frigidum & humidum secundo gradu.

Vtile est ad aluum laxandam. Et ex Plinio lieni & temporum dolori cum oleo illitum prodest. Si bibatur vero valet ad scorpionum ictus, clauis pedum admouetur etiam. Et tandem ex Hipocrate, menstrua sistit in cibo sumptum.

Diosc. lib. 2. c. 105.
Plin.
Hipocrates.



BOLVS.

Vide Terrram sigillatam.

BOMBAX.

CAP. LXXXIX.

BOMBAX seu gossipium, cotum, Gallice *coton* est frutex flore luteo, folio vitis, fructu instar nucis barbatæ, in quo est lanugo. Est planta peregrina, ca-

lida, humida, cuius folia aluum sistunt, semen prodest tussi & vitiis thoracis, ac semen genitale auget. Lanugine vero vtimur ad fotus, & ad resoluendum, vel aures tinnientes obturandas.



BORRAGO. ET BVGLOSSVM.

Cap. XC.

EST planta folio hirsuto, verbascum referens, sed oblongior dicitur buglossum, sunt flore cæruleo. Et in hortis & locis planis nascuntur. Sunt calidæ
Diosc. humidæ. Amat etiam loca arenosa & rura, pota curat rigores tertianarum, & confert apostemat. Folia cor recreant
Math. lib. 4. c. 123. in vino. De ea vide Mathiolum l. 4. cap. 123. vbi ait miram esse ad lipothymias & morsus venenatos, delitia febrium & scabiem.

Galen. l b 7. simpl. Ex Galeno vero; Ad tussim confert, cocta valet ad faucium asperitatem. Buglossum dicitur etiam lingua bubula, euphrosynum, quod animi voluptates
Diosc. lib. 4. c. 110. augeat, Gallicè *buglosse*. Eius folia in vino lætitiam animi faciunt & commendantur ad febres & abscessus.

Vrinas cit & sitim sedat, caules vero eius valent ad jecoris affectus. Simeō Sethus



BVGLOSSVM SYLVESTRE.

Cap. XCI.

CIRSIVM, seu Buglossum Syluestre, & magnū & lingua bubula vel hirci dicitur, est duplex, Germanicū & Italicum, caule tenero, triangulari & hirsuto ac bicubitali est, capitulis purpureis, inculta amat. calefacit & humectat, gradu primo. sedat dol. varicum, vide Mathiolum l. 4. c. 114. Diosc. lib. 4. c. 102. Mathi. lib. 4. c. 114.



BORRAX SEV CHRYSOCOLLA.

Cap. XCII.

FERTVR è Cypro insula & Armenia. mundat Cicatrices, tollit excrescentias carnis, adstringit, calefacit, & vomitum cit, necat tamen per os sumpta. Diosc. lib. 5. cap. 69.

Ex Mathiolo tamen reperitur in mineris variis, præstat ex aureis, fit & artifi- Math. lib. 5. cap. 64

cialis qua vtuntur aurifabri, & tunc paratur ex vrina puerorum, valetque ad vlcera rebellia.



BOTRYS.

CAP. XCIII.

DICITVR & Millegrana, eſt planta lutea, fol. cichorii, odorato, naſcitur circa torrentes. eſt calida & ſicca ob amaritud. incidit, & ex
Dioſc. Dioſc. orthopnæam leuat, idemque
Paulus Plinius aiunt Paulus, & Plinius.

Dioſc. lib. 3. c. 116. Ex Dioſc. eſt plantula foliis rutæ, cum granis racematim diſpoſitis, abſque flore, odore vini, repercutit & admota, fluxiones irruentes in quamuis partem ſiſtit
Mathi. lib. 3. c. 112. Gal. l. 6 ſimpl. & ex Mathiolo reſoluit & adſtringit, quod à Galeno confirmatur.

Mathi. lib 3. c. 113. Eſt & alia Botrys; *piment*, dicta Gallicè, folio Cichorii, ſemine ſpicató, multa ſemina ferente, inſtar vuæ, vnde ei nomen, odore grato ſed forti, calefacit, ſubtiliat, incidit, aperit & mundat. ex
Plinius l. 27. c. 8 Plinio confert pectori, aſthmati, pulmonicis & pus ſpuentibus, quod teſtari poſſum: matrici imponitur ad dol. eius mi-

tigandos. eius suffumigiis menstrua cientur & foetus expelluntur.

Ex Paulo, orthopnoeæ confert. de ea vide Diosc. Paulus Ægin. Diosc. lib. 3. c. 117.



BRASSICA.

Cap. XCIV.

Brassica satiua vel caulis & crambe, quasi κοράμβλη dicta, quod pupillas oculorum hebetet, exiccat & calefacit primo gradu; percocta aluũ sistit, semicocta laxat, vini noxæ resistit, vrinam cit, viperarum morsibus succurrit, cum farina fœnugræci prodest podagricis, vlceribus vetustis & sordidis & caput purgat naribus infusa, folia eius inflammationi & œdemati conferunt, vt & lepræ, erysipelati, &c. menses ducunt, carbunculos rumpunt, defluxum capillorũ sistunt, gangrenam arcent, cruda cum aceto comesa lienosis prodest. flos in pesso sterilitatem inducit, semen potum lumbricos pellit, laterum dolores brassica cum adipe imposita tollit. phlegmones epinyctides & herpetes curat, semen lentigines tollit. parum coctæ Diosc. lib. 2. c. 108. Galen.

Plin. Mathi. lib. 2. c. 113. aluum laxant: tollit vigilias & insomnia.

Semen eius potum & tritum colicam curat, prodest & hepaticis, spleniticis, calculosis & phthisicis, succus eius coctus visum clarificat, lac auget, asthmati confert & veneno fungorum resistit.

Brassica marina aluum laxat, extra vero ad eadem est vtilis. vide soldanellam & mercurialem montanam, seu brassicam caninam.

Notandum est olim Romanos, expulsis medicis, omnes morbos solâ brassicâ curasse.

Vide cynocramben.



BRYONIA.

Cap. XCV.

BRYONIA multa habet alia nomina, dicitur enim, ampelos leuce, id est, Vitis-alba; viticella, quod viti similis sit & cucurbita syluestris, psilothrum, quod depilet, bryonia, à *βρύω* pullulo, colubrina & Gallice *Couleuurée*, quod in ea serpentes degant. tandemque, *feu ardent*, ob acrimoniam.

Capreolos multos edit & radicem maximam & racemos rubentes, hederam æmulatur, sepes amat. est duplex alba & nigra, sic dictæ, à rad. colore.

Auxiliatur Chironicis, gangrenicis & phagedænicis tibiisque putrefactis, quia acris est. Lentigines,furfures,&c. Tollit cum fœnugræco cocta & oleo. Cum vino abscessus rūpit & inflam. tollit, illita, ossa educit. Ad epilep. datur in potu ad drachmam vnam, quotidie, per annum. Ad viperarum ictus ad drach. duas datur. Prodest vertigini,& vrinas mouet, cum melle valet ad suffoc. vteri & dol. lateris; apposita vtero fœtus & secundinas expellit. Cum aceto lienem consumit si per 30. dies bibatur. Fructus eius illitus, ad lepras & psoras valet; ex Gal. succus eiusdem fructus potus cum tritici decocto lac auget & menses ducit. Diosc. l. 4. c. 161. Galen.

Vrinam moderatè mouet, si edantur eius germina. Radix lienes duros epota emollit, succus radicis purgat pituitam, vrinas pellit, pectus, neruos, & cerebrum mundat, calculos renum expellit, epilep. & vertigini confert, tumores duratos, præcipuè lienis resoluit, elicit menstrua, matricem mundat. Oleum coctum cum radice eius cauata, contusiones tol- Galen. lib. 6. simpl. Mathi. lib. 4. c. 176.

lit, suffocationem matricis cum vino pota curat planè, vsu diuturno, abstergit & Gal. & Mathi. lib. 4. c. 177. & Diosc. lib. 4. c. 162. desiccat. Vitis nigra ex Galeno curat optimè scrophulas. Ex Dioscoride vero easdem vires habet cum alba, & dislocationibus confert.




RANÆ ET BVFONES.

Cap. XCVI.

Diosc. COMEDVNTVR ranæ ad omne venenũ serpentum & ad antiquos neruorum rigores, cinis earum sanguinem sistit & pilos renasci facit, cum aceto vero dol. dentium tollit, in vnguentis desiccat & resoluit.

Mathi. l 2. c. 25 Vide plura apud Mathiolum, qui eas ad phthisicos commendat.

Ego vero experimento scio, bufonum oleum, vt in obseruationibus meis docui, scrophulas & vlcera antiqua curare.



BVLBVS.

CAP. XCVII.

BVLBVS, porrion & cepa ſylueſtris idem ſunt. Habet folia porracea, allij rad. ſed glutinoſam, capitula habet triangularia, poſtquam flores ceciderunt, qui ſtellati ſunt & ſex folia habent lilium imitantia. Naſcitur in vallibus & vineis. Abſtergit, glutinat & exſiccat.

Venerem ſtimulat, colliſis & luxatis ſuccurrit, illitu ſurculorum prodeſt gangrenis & podagræ, cum melle, & per ſe hydropi & morſui canis, ſudores cohibet & ſtomachi dolorem ſedat, ſi vngatur, lentigines tollit cum melle vel aceto, furfures cum nitro exterit. Dioſc. lib. 2. c. 155.

Probè cocti valde nutriunt. Galen. lib. 6. ſimpl.

Conſolidat, exſiccat & detergit, eſt ventoſæ naturæ & ad luxuriam ob id excitat. Mathi. lib. 2. c. 165.



BVRSA PASTORIS.

Cap. XCVIII.

SIC dicitur à folliculorum ſeminis figurâ, Gallice *tabouret*, *bource de berger*. Eſt planta flore exiguo & candido, folio erucæ, amans vias, refrigerat, adſtringit & deſiccat, cohibet humores defluentes, ſacris ignibus imponitur, medetur auribus purulentis, cruentis vulneribus, dyſenteriæ, hæmoptoi, menſibus nimiis & hæmorrhagias narium optime ſiſtit, vt in meis etiam obſeruationibus videre eſt.

Mathi. lib. 2. c. 150. Confert eryſipelat. Et inflam. bibitur cocta cum bolo armen. Et plantag. ad dyſent. ſedendo vero ſupra decoctum eius menſtrua ſiſtit. Vide thlaſpi.



BVXVS.

Cap. XCIX.

BVXVS à Græco πύξος dicitur, adſtringit & exiccat, folia cocta in lixi-

uio capillos ruffos faciunt. Eius scobs pota aluum sistit, eius odor & vmbra cerebro nocet. Fertur serpentes cum eius radice sibi vulnera curare et eius decoctum instar guajaci luem veneream optimè sanare. Vide plura apud Mathiolum. Math. lib. 1. c. 114.



CALAMENTVM.

Cap. C.

CALAMENTVM, id est, bona menta, multas complectitur species, montanam, quæ est efficacior, nepetam vel pulegium syluestre & mentastrum seu Calamentum aquaticum, ex Dioscoride. est calid. sic. tertio gradu. Mathi. Diosc.

Potum vel illitum, confert morsui serpentum. decoctum potum menses & vrinas cit, opitulatur conuulsis, ruptis, choleræ, torminibus & orthopneæ regioque morbo, necat lumbricos & ascarides, fœtui nocet, econtra lepræ confert, & ischiad. doloribus. Diosc. l.3.c.35

Sudorem cit, corpus exiccat, humores digerit, extenuat, incidit, & adstringit ob amaritudinem. Galen. lib. 7. simpl.

Plinius Succus sistit hæmorrhag. narium, fumus fugat serpentes, radix anginæ medetur. nepeta est species calamenti quæ est calida & sicca, amat vias & easdem habet vires, Capitis, pectoris, stomachi, matricisque morbis confert: cephalalgiæ antiquæ, torminibus, epilepsiæ, lethargo, vertigini, asthmati, conuulf. & aduersus steril. per nares attractus succus eius prodest. attrahitque phlegma & visum acuit.

Mathi. lib.3. cap.36.



CALAMVS.

CAP. CI.

Diosc. l.1.c.97 RADIX eius trita elicit sagittas, & mitigat dislocationes ac renum dolores. folia trita erysipelata curant, aliasque inflammat. cinis corticis illius, cum aceto admotus, alopeciam curat.

Mathi. l.1.c.17. Radix pota, vrinas & menstrua prouocat & scorpionibus resistit.

CALAMVS



CALAMVS AROMATICVS.

CAP. CII.

EX India venit, ruffus & nodosus melior est, adstringit cum quadam acrimonia, potus vrinas cit. hydropi confert & renum morbis ac dysuriæ. eius fumus tussi etiam confert, decoctū vero ei insedendo, mulieribus vtilissimum. Diosc. lib. 1. cap. 17.

Ad prouocanda menstrua & ad matricis inflammationem valet. Mathiolus



CALENDVLA VEL CALTHA.

CAP. CIII.

CALTHA, seu Calendula dicitur, quod calendis floreat. Gallice *soulsy*, quasi solsequia, quod solem sequatur, cum eo enim aperitur & clauditur.

Flos eius potus in vino menstrua mouet vt & herbæ succus, & in gargarismate dolores dentium subitò tollit, fla-

uos facit capillos & ſecundinas mirificè educit.

Mathi. l. 4. c. 186. Ictérum curat & optime certiſſimeque menſtrua prouocat, ſi edantur flores vel ſi ſuccus herbæ ad vnciam vnam bibatur; inflammationes & rubores oculorum tollit, ſi cum linteis madidis imponatur.



CALX VIVA.

Cap. CIV.

Dioſc. lib. 5. c. 197. CALX viua, ignea eſt & eſcharram facit; cum oleis & adipibus maturat, emollit & reſoluit, & vlcera ad cicatricem deducit.

Mathi. lib. 5. c. 91. Lota calx optima eſt ad vlceta rebellia & à venere prouenientia circa pudenda, quia deſiccat ſine acrimonia; ad ambuſta valet, lota cum aqua roſacea.

Galen. lib. 9. ſimpl. Vide de hac Gal.



CAMOMILLA.

Cap. CV.

CAMOMILLA seu chamæmelum & anthemis, priora nomina ab odore malorum sortita est, dicitur & cotula, anthemis vero dicitur quod a summo florere econtra aliarum plantarum incipiat. Fuchsius c. 8

Rami eius palmum non excedunt, frequentes habent alas, cum capitulis rotundis, floribus aureis, foris nunc candidis, nunc luteis, nunc purpureis, foliis rutæ magnit. Amat semitas & loca sicca & aspera. Alba dicitur leucanthemum, lutea chrysanthemum.

Confert oculis & calculo. Calefacit & desiccat primo gradu, menses & fœtus vrinasque pellit. Bibitur ad ileum, iecinorosis etiam & ictericis vtilis est. Ad omnia vesicæ vitia laudatur, & ad oris vlcera si mandatur. Diosc. l. 3. c. 139.

Dolores mitigat & lassitudines tollit, dura emollit, tensa laxat, febres à bile tollit.

Prodest mirè hypochondriis, resoluit Mathi. lib. 3. c. 137.

& rarefacit dura, febres à bile & à constipatione pororum ortas curat.

Dolores optimè, cum oleo oliuarum cocti flores eius, leniunt.



CAMOMILLA SYLVESTRIS.

Cap. CVI.

SYLVESTRIS cotula, buphthalmum dicta, à figura floris oculum bouis æmulante, & cotula fœtida, Latine oculus bouis, Gallice, *œil de bœuf* & *pisse en lict*. Habet fol. fœniculi & florem luteum. Nascitur circa vrbes in campis, est planta camomilla vulgari altior, eius flores sunt calidi.

Diosc. lib.3. c. 141. Cum cerato triti eius flores, œdemata & durities discutiunt, regio morbo conducit pota tota planta.

Galen. Vehementer discutiunt.

Plinius Mathi. lib. 3. c. 139. Cum cera schirros discutit. Vide etiam Mathiolum.



CAMPHORA.

Cap. CVII.

CAMPHORA vel caphura est succus, albus & diaphanus arboris peregrinæ, proceræ & ad nucem accedentis, aiuntque maiori esse copia cum tonat & fulgurat vt de tuberibus fertur. Venit è Borneo & China, calida est & in vapores facile euanescit, creditur nocere fertilitati & generationi, vnde versus. Renodæus. l. 1. med. mat. sect. 9. cap. 2. Aëtius Actuarius.

Camphora per nares, castrat odore mares.

Extinguit inflammationes & sedat capitis dol. sang. narium sistit, fucus est. Alba menstrua etiam sistit, prodest Erysipel. & renum calori, & iecoris; faciei rubores tollit. Et antidotis miscetur. Quare camphora vt alij volũt erit calida & frigida. Mathi. lib. 1. cap. 75.



CANCRI ET LAPIDES EORVM.

Cap. CVIII.

CANCRI fluuiatilis cinis cum rad. gentianæ ad scrup. 6. potus va- Diosc.

let ad morſum canum rabid. araneorum, phalangij & ſcorpij. & ad omne venenum cum lacte vt & ad cancrum morbum, ad ani pedumque fiſſuras, & ad phthiſim. lapilli circa oculos eorum valent ad calculum ſi bibantur & debilitati cordis vlceribuſque pudendorum conferunt. & ad cardialgiam vt & ad ſang. coagulatum in corpore ſoluendum, ad vlcera pudendorum, ad dentes albandos & firmandos. ex aliis ad calculum, febres, & oculos ad eos mundandos à feſtucis.

Mathi. l.2.c.10

Idem ait Galenus & ex Nicandro ad omnium ſerpentum morſus commendantur. alij pro lapidibus eorum oculos capiunt.

Galen. lib. 11. ſimpl. Nicander.



CANNABIS.

Cap. CIX.

CANNABIS vel Canapus, Gallicè, *Chanure*, venit circa loca aſpera & ſemitas ſi ſit ſylueſtris; econtra verò ſi domeſtica, calefacit & exiccat.

Dioſc. lib. 3. c. 149.

Genituram extinguit ſuccus domeſti-

cæ ſumptus, inſtillatur dol. aurium, radix ſylueſtris decocta inflam. mitigat, tumores diſcutit & callos diſijcit.

Semen eius flatus diſcutit & genituram ſeu ſemen exiccat, ſi copioſe ſumatur capiti aduerſatur. Galen.

Succus herbæ inſecta in aures delapſa elicit ſed cum dol. capitis. contractos articulos cocta emollit & podagræ impetus tollit, ambuſtis etiam aptè amouetur. Plinius

Si nimis edatur, delirium vel inebriationem facit.

Semen eius ſperma abſumit; vermes elicit, &c. ab auribus. folia conferunt dyſent. decoctum rad. mitigat podagram, ambuſta curat, doloremque aurium. Mathi. lib. 3. c. 148.



CANTHARIDES.

CAP. CX.

SVNT inſecta ſeu muſcæ virides maiuſculæ quæ fraxini foliis inuolutis innaſcuntur, quarum venenum, etiam extra ſi admoueantur veſicam ſpecificè

irritat, adeo vt mictum valdè prouocet & si deglutiantur, sanguinem; vituperatur valdè à Fabricio earum vsus, etiam in vesicatoriis, tamen vna datur, cum lacte, abscissis capite & alis (in quibus venenum præcipuè consistit.) ad vrinam prouocandam.

Fabricius ab Aquapend.



CAPPARIS.


CAP. *CXI.*

Diosc. lib. 2. cap. 158.

NOCENT stomacho, aluum turbant, potæ per 40. dies lienem consumunt tumidum, prosunt ischiad. dol. paralysi, rupturis & conuulsi. menstrua prouocant, cerebrum purgant, decoctum seminis in aceto collutum dentium dol. tollit, cortex vlcera vetera curat, succus instillatus, aurium vermes necat.

Mathi. lib. 2. c. 169.

Abstergunt & valde deficcant.



CAPRIFOLIVM.

CAP. *CXII.*

CAPRIFOLIVM, matrifylua & periclymenum idem funt, Gallice, *Cheure fueil.* eft frutex flore cand. fabaceoque fed longiori quafi orbiculatim difpofito, fol. fubfpiffis & vt hedera fe arboribus inuoluit. fepes amat, calefacit & deficcat. femen in vino lienem minuit & abfumit, fingultui & orthopneæ prodeft, laffitudines tollit, vrinam cit, partum celerat, fterilitatem inducit, cum oleo inunctum febrium horrores tollit. Diofc. l. 4. c. 11. 12.

Vrinam facit fanguineam & afthmati confert. ad vulnera cap. optimum eft, & ex Vigone ad vlcera femorum vt & ex Gal. l. 8. fimpl. vt ait Math. quod tamen non reperio. fructus ad drag. 1. vrinas mouet, fterilem reddit, & vfu nimio fang. vrinas efficit. Galen. Mathi. l. 4. c. 12. Vigo. Galen. lib. 8. fimpl.



CARBVNCVLVS.

Cap. CXIII.

CARBVNCVLVS, rubinus, anthrax, pyropus & granatus eiusdem generis sunt. & sunt cardiaca optima & omni veneno ac putredini resistunt, sed granatum nocet cerebro, & sang. ac iram mouet.

Renod. de mat. med. l. 2. sect. 2. c. 3.



CARDAMOMVM.

Cap. CXIV.

VOCATVR etiam semen Paradysi & *meleghete*, est semen aromaticum in vesiculis nascens, ab India veniens, calidum valde & acre, vermes necat, scabiemque curat, si cum aceto corpus eo fricetur.

Mathi. l. 1. c. 5.

Ex Diosc. verò, ad dol. ischiad. bibitur, & ad epilep. tussim, paralisim, spasmum, vermes, ictus scorp. vrinæ diff. renum dol. & colicum.

Diosc. l. 1. c. 5.



CARDIACA.

CAP. CV.

CARDIACA sic dicitur quod mirè cordis palpit. prosit dicitur & agripalma à figura foliorum, Gallice, *agripaume* & *cordiale*. Folia eius habent rudes incisuras, palmam Christi æmulatur & quasi manus digitos. quadrangulo caule est, fol. nigro, flore etiam nigro vel subpurpureo, rad. lutea. Rudera & sepes amat, est calida secundo, sicca tertio ordine.

Valet ad resolutionem & conuulsionem vt & comitialem morbum, vrinasque & menstrua cit.

Confert conuulsioni, paralysi, cardialgiæ, aliisque cordis morbis, vrinas menstruaque prouocat, obstructiones tollit, vermesque necat. Mathi. l.4. cap. 89.



CARDVVS FVLLONVM, ALIIQVE.

Cap. CXVI.

CARDVVS hic, fullonum dicitur, quia eo vtuntur fullones ad pannos poliendos, dicitur & virga pastoris, quod virgas emittat pro pastoribus, labrum veneris & dipsacus quasi sitiens, quod aquas in rad. foliorum diu conseruet. Amat camporũ fossas, rad. eius desiccat & abstergit.

Diosc. lib. 3. cap. 11. & 14. Eius radix, vt ceratum cocta, sedis rimas & fistulas sanat, vermes eius capitib. inclusi, appensi, curant vt aiunt, quartanas, verrucis etiam medetur.

Mathi. lib. 3. c. 11. & Galen. lib. 6. simpl. Eius radix desiccat secundo gradu & modicè detergit.

Aqua quæ in eius foliis inuenitur ad scabiem commendatur.

Cardui alij feré omnes & præcipuè benedictus ad lateris dol. & pleuritides commendantur, & cardiaci sunt. Vt carlina.



CARIOPHYLLVM.

CAP. CXVII.

EST arbor Indica, florem cinnamomo similem ferens, calida tertio gradu. Gallice *gerofle*.

Ex Serapione, cariophyllă conferunt jecori, stomacho, cordi, & digestionem iuuant, aluique fluxum sistunt. Ex Auicenna vero ad venerem concitant. Oculorum tenebras & maculas tollunt, appetitum reddunt, vomitum tollunt, caput roborant, cœliacis dantur vtiliter, epilepsiæ, paral. & lethargo conferunt, vt & hydropicis. Tandemque antidotis immiscentur. Mathi. lib. 2. c. 153. Serapio. Auicenna.



CARIOPHYLI.

CAP. CXVIII.

SVNT & flores cariophyli dicti quod cariophylla redoleant, Gallice *oeillets*, qui omnes, sed præcipue rubri, cordis palpitationi, lipothymiæ, ver- Mathi.

tigini, paralysi, conuulsionique confe-runt, cum aquis conuenientibus seu specificis poti. Cum saccharo condiuntur, calefaciunt & sicccant;pesti, vermibus, morsibusque venenatis prosunt Acetum fit ex eis;olfactu solo à syncope reuocãs.

Fit ex iis floribus mirus syrupus ad quartanas febres curandas.



CARIOPHYLLATA.

Cap. CXIX.

PLANTA hæc dicitur sanamunda,ob vires, & Cariophyllata quod siccata Cariophyllum redolcat,Gallice, *Galliot, resize & herbe Benoiste.* amat syluas, & est calida sicca & adstringit.

Mathi. lib. 4. c. 17. Radix, pectoris & lateris dol. discutit dissoluit,digerit & tollit obstructiones; fomentum eius cum vino menses cit, bibitur trita aduersus venena, cocta in vino toxicis etiam aduersatur, coctionem roborat & ad interna vulnera valet.



CARLINA SEV CHAMÆLEON ALBVS.

Cap. CXX.

EST albus & niger, dicitur carduus ſuarius quod ſues necet, Gallice, *Carline*. eſt calid. ſicca; ſecundo gradu, montes amat.

Radix epota albi chameleontis, lumbricos pellit, hydropi confert & dyſuriæ. Dioſc. lib. 3. cap. 8.

Mures, canes & ſues necat.

Valet ad ſcabies, impetigines & fœditates cutis, & ad dentium dolores. Mathi. lib. 3. cap. 8.



CARLINA SEV CHAMÆLEON NIGER.

Cap. CXXI.

NIGER dicitur ob radicem nigram, ſiccus eſt tertio gradu & calidus ſecundo. ſcabies tollit, dentiumque dol. additur Medicamentis erodentibus & ſanat vlcera tetra. Dioſc. lib. 3. cap. 9.

Galen. Eius radix quid lethalis habet.

Mathi. l.3.c.9. Radix eius necat vermes latos alui, canes & porcos, tollitque lepras & vitiligines.



CARROBIA.

Cap. CXXII.

IDEM sunt, Carrobiæ, & siliquæ, Græcè κεράτια, Gal. *Carrouges.*

Est Arbuscula lata, non alta, foliis fraxini, siliquas ferens, primo ingratas sed tandem dulces & melleas.

Gal.l.7 Desiccant & adstringunt.

Mathi. lib. 1. c. 130. Vide Mathiolum.

Diosc. lib. 1. c. 127. Virides aluum laxant & nocent stomacho, econtra siccæ, & vrinas prouocant.



CARTHAMVM.

Cap. CXXIII.

CARTHAMVM vel Crocus syluestris, cnicus & atractilis etiam dicitur, crocus quod eo pro croco pauperes vtantur,

vtantur, atractylis, vero quod pro fuso eo vterentur antiquæ mulieres. Gallicè *safran bastard*. Carduus benedictus est eius species hirsuta. Habet folia incisa, longa, aspera, aculeata, semen album, florem croceum. Estque cal. [illegible]cc. 3. gradu.

Succus eius aluum purgat, stomacho tamen aduersatur, trita hæc planta integra, valet ad ictus scorpionum. Diosc. l.3.c.95 & l.4. c.166.

Desiccat & modicè digerit. Galen. lib. 7. simpl.

Curat vlcera & fistulas antiquas. At carduus benedictus tollit obstructiones viscerum, vrinas mouet, calculum frangit, vlcera pulmonis sanat, omnibus venenis resistit & pesti, valet ad vertiginem & omnes capitis dol. vehementes & memoriam amissam si in cibo aut potu vsurpetur, & puluis eius inspergitur ad vlcera mammarum putrescentia. Fuchsius.

Semen eius confert dolori colico, hydropique, attenuat, aperit, resoluit, ventos pellit, pota hæc planta & imposita valet ad omnia venenata & pestem, succus epotus ante rigores febrium quartanarum & aliarum, eas curat. Vlcera sanat, tollit dolores lumborum, renum & tormina, vrinas cit, epilepsiæ & Mathi. l.3.c.91 &lib.4. c.182.

matricis confert morbis & necat vermes.

Mesue. Ex Mesue vero, phlegma & aquas purgat, & sperma generat.



CARVI.

CAP. CXXIV.

CARVI, Gallicè, *cherui*. Est flore candido, caule quadrangulo, foliis, staphylini. Dicitur carui à Caria regione. semen eius cal. & exiccat. Tertio gradu.

Diosc. l.3.c.56 Semen eius vrinam cit, stomacho placet, iuuat digest. antidotis miscetur.

Galen. Mathi. lib. 3. cap. 57. Flatus extinguit; tota planta & semen vrinas mouent. Vide Mathiolum.



CASSIA.

CAP. CXXV.

Morellus de materia medica. EST fructus arboris Ægyptiæ & Arabicæ, instar siliquæ oblongæ, & nigræ, dicitur & cassia fistula, vel siliquosa, vel nigra, vel solutiua, optima est ponderosa & quæ concussa non resonat.

Diosc. l.1.c.12. Temperata est, vel parumper hume-

ctat sed Mesue ait accedere ad calorem, Musa vero eam cal. & humidam esse asseuerat. Lenit, laxat, emollit, purgat, bilem & pituitam & sanguinem purum reddit. Dicata est hepati, pectori, pulmoni, renibus, vesicæ. ¡Optima est ad pleurit. febres ardentes, jecoris intemperies, cal. renũ & vesicæ ardorem, calculũ & gonorrheã; eius flatulentia pugillo anisi vel fœniculi corrigitur. Dosis eius est à drach. 3. ad vncias duas, iuxta ætates. Datur forma boli vel potionis. Auicẽna. l. 2. c. 157. Mesue. Musa.

Est lenitiua, & resolutiua, datur in morbis, calidis, & febribus, ante venæ sectionem, bilem temperat, extra vero tollit. inflamm. & erysipelata, si admoueatur. Mathi. l. 1. c. 13.



CASTOREVM.

CAP. CXXVI.

CASTOR seu fiber, Gallicè, *bieure*, est animal amphibiũ, cuius genitalia; vel potius vesicæ quædam inguinum venenis serpentum resistunt, ad drach. 2. menstrua prouocant, cũ aceto ad tormina bibuntur, singultum tol- Diosc.

sunt, venena & lethargicos euocant, ad conuulsiones, neruorum omnes dolores & rigores valent : in obs. meis videbis curam lethargici sic peractam, Ætij
Aetius consilio.

Mathi. lib. 2. cap. 23. Valet ad tremores & partes sensu orbatos, mulieres reuocat à suffoc. vteri, fumo suo per nasum hausto ; ad dragmam potus euacuat aluum : optimum est remedium ad dol. colicum, epilepsiæ, dolorique dentium confert.

Archigenes. Galen. lib. 11. simpl. Ex Gal. Archigenes de hoc librum integrum scripserat. Temperamenti calidi est.



CASTANEA.

Cap. CXXVII.

CASTANEA, aliter glans Iouis vel Sardiana, à Castano oppido Ma-
Diosc. c. 122. lib. 1. gnesiæ, Gallicè, *chatagne*. Adstringit & exiccat, præcipuè membrana, secunda,
Galen. boni est alimenti, ex Galeno.

Plinius Ex Plinio vero prosunt hæmoptoicis, tussi, dysent. & aliis alui fluxibus, &c. mammarum durities discutiunt, cum farina & aceto. Nutritiuæ sunt.

Siccæ caſtaneæ, omnes alui fluxus ſi-ſtunt & hæmoptoim, admouentur ca-num rabidorum morſibus, venerem cient & ventos faciunt. Admotæ contu-ſæ, mammarum duritics reſoluunt. Math. lib. 1. c. 122.



CATAPVTIA.

CAP. *CXXVIII.*

LATHYRIS, dicitur cataputia minor, quod in catapotiis, id eſt, purgatiuis med. ponatur. Habet folia amygdalina, quæ lac refudant, caulem habet cubitalem, tria grana habet in loculis ſimul diſpoſita, paruis piſis oblongis ſimilia; in hortis colitur. Eſt calida gradu tertio & humida primo.

Sex; vel 7. grana purgant, ſumpta cum caricis, aquâ ſuperpotá, bilem, pituitam & aquas educunt. Dioſc.



CEDRVS ET CEDRIA.

Cap. CXXIX.

Diosc. l. 1. c. 84. EST arbor procera, calida & sicca, ad cupressum accedit. Eius pix, cedria dicitur, & dol. dentium tollit, oculis tenebrosis confert, ad tinnitus aurium, earumque vermes; sola vnctio genitalis, conceptui nocet, necat serpentes, vlcera mundat, & antidotis miscetur.

Mathi. lib. 1. cap. 89. Idem ait Mathiolus, & quod extenuat oculorum cicatrices, fœtum & lendes necat.



CENTAVRIVM.

Cap. CXXX.

CENTAVRIVM dicitur sic à Chirone Centauro, qui eo vulnus in pede curauit, dicitur & fel terræ, ob amaritudinem, febrifuga, quod fuget febres, Et limnesium vel limneum, quod aquas amet. Est maius & minus.


Minus est planta dodrantalis & an-

gulosa, foliis binis oblongis, per distantias oppositis, flore puniceo, semine tritico simili. Exiccat ob amarit. Et adstringit.

Illitũ vulnera glutinat, vlceraque purgat & cicatrisat, decoctum ischiadicis aptum est, infusum sanguinem educit & à doloribus leuat, oculis prodest obtenebratis, cum melle, menses & fœtus in pesso educit, potùs, ad neruorum morbos vtile est. Diosc. l.3.c.7.

Fistulas sanat & veteres durities emollit, jecoris obstruct. tollit, lienes induratos mollit appositum. biliosa purgat. Galen, lib. 7. simpl.

Decoctum eius ad febres tertianas datur, vnde vocatur, febrifuga, eas autem curat, quia bilem infra educit, tollit durities & opilationes jecoris, lentes faciei, alphosque, necat aurium vermes & tineas capitis. Math. l.3.c.7.



CENTAVRIVM MAIVS.

CAP. *CXXXI.*

EST flore cæruleo, folio nucis, semine croci. Confert conuulsis, ruptis, vulnera glutinat, menstrua prouocat pes- Diosc. l.3.c.6.

ſario. Pleuritidi, aſthmati, hæmoptoi, & torminibus confert, fœtum educit.

Mathi. l.3.c.6. & Gal. lib.7. ſimpl. Hydropicis radix eius vtilis eſt, vt & ictero, hepaticis, ictibus ſerpentum. Ex Gal. acre eſt.

CENTINODIA.

CAP. *CXXXII.*

ANODIS multis ſic dicitur, vt & Græce polygonum, aliter Latiné ſanguinaria quod ſanguinem cohibeat, Gallice *corrigiole* & *renouée*. Eſt vt gramen, repitque; flore albo aut puniceo, mas & fœmina, in viis naſcitur & aridis locis, eſt frigida & adſtringit, ſecundo gradu.

Dioſc. l.4.c.4. Hæmoptoim & ſtranguriam ſiſtit vt & choleram & alui fluxum, datur ad febrium circuitus morſuſque venenatos menſtrua ſiſtit, auribus purulentis confert, ad inflammationes, œdemata, vulnera & vlcera recentia.

Galen. Ad ardorem ſtomachi illita prodeſt & ad phlegmones & ignes ſacros.

Math. l.4.c.4. Fallopius. Fallopius Medicus ea ſolá multas hernias curauit inteſtinales, puluis totius

plantæ potus vrinas & calculos pellit & rumpit. Extra confert ardori stomachi, erisypel. Et inflammationi, herpeti, vlceribus, dysenteriæ, menstruis nimiis & hæmoptoi.



CEPA.

CAP. *CXXXIII.*

CEPA à capitis magnitudine dicta, Gallice *oignon*. Græce *κρόμμυον* vocatur, quod pupillam comprimere faciat, ex Aristotele. Calefacit quarto gradu. Aristot

Mordicat, flatus gignit, appetitum iuuat, sitim excitat, aluum laxat, succus suffusiones curat cum melle & anginæ confert, canis morsibus adhibetur, aurium tinnitui & grauitati, alopeciæ confert, ad varos & alphos vtilis est, pilos euocat, vrinas pellit, tubercula coquit & rumpit. Diosc. lib. 2. cap. 137.

Hæmorrhoides, vnctione aperit, humores corporis extenuat, & glutinosos incidit. Galen.

Confert ambustis, tussique veteri, cum oleo vt quotidiana comprobatur experientiâ vt & stomacho, at capiti, lienique officit.

Mathi. lib. 2. c. 141. Cocta cum theriaca sub cineribus pestem curat, surditatem cum cumino, cum saccharo asthma & tusses, eius pellis crassa auri indita capitis dolorem veterem tollit, cepa admota cum aceto sistit hæmorrhagiam & econtra aperit hæmorrhoides, vitiligines tollit. Admouetur ad visum acuendum & cataractam. Est cibus ventosus.



CERA.

CAP. CXXXIV.

Diosc. EST calida, replet carne & emollit, confert dysenteriæ, ad decem grana deglutita, & impedit ne lac nutricum coaguletur. maturat & resoluit mediocriter.

Mathi. lib. 2. cap. 76.

Galen. lib. 7. simpl. Est moderatè cal. & valde emplastica.



CERASVS.

CAP. CXXXV.

Atheneus. CERASVS à Cerasunta vrbe Ponti dicitur ex Atheneo, est frig. humid.

Ventri vtilia sunt cerasa,siccata vero eum sistunt, visum acuunt, tussi vetustæ medentur, calculo prosunt,& appetitum conciliant. Diosc. lib. 1. c. 126.

Sunt austera vel dulcia, vel acerba; dulcia aluum laxant, acerba & austera stomacho prosunt. Galen.

Gummi eius arboris, calculo vtile est, lichenes infantium ex aceto sanat. vide Mathiolum. Mathi. lib. 1. c. 129.



CERVI CORNV, OS CORDIS ET LACHRYMA.

Cap. CXXXVI.

CORNV cerui confert dysenteriæ, hæmoptoi, colico dolori, ictero, dol. vesicæ, menstruis nimiis & vstum,ac cum oleo coctum,tollit dol. dentium nascentium pueris. vide plura apud Mathiolum. Diosc. Mathi. lib. 2. cap. 52.

Crux vero vel os de corde cerui & lachryma ex eodem Mathiolo valent ad pestem & omnia venena, sed adulteratur os illud seu cartilago, supponendo cartilagines cordis bubuli, non enim sunt ossa, sed tantum orificia magno- Idem.

rum vaſorum cordis indurata.



CERVSSA.

Cap. CXXXVII.

Dioſc. lib. 5. cap. 68. FIT ex plumbo, vt viride æris ex ære, refrigerat, obſtruit, emollit, ſubtiliat, replet & carnis excreſcentias reprimit; in emplaſtris & ceratis lenitiuis ponitur: ſumpta per os, eſt venenum.

Mathi. lib 5. cap. 63. Ex ea fit minium, maiori calcinatione.



CHAMÆDRYS

Cap. *CXXXVIII.*

CHAMÆDRYS eſt planta, quercum folio referens, dicitur quercula & triſſago & ſerratula, Gallice, *Petit Cheſne, Cheſnete', & germandree.*

Eſt herbula flore ſubpurpureo, amans loca aſpera, quæ eſt cal. & ſicca tertio ordine.

Dioſc. lib. 3. c. 100. Decoctum eius epotum, confert tuſſi, conuulſis, hydropi, lieni indurato, dyſuriæ, menſes cit, fœtus educit, venenis re-

ſiſtit, lienes minuit, trita valet ad ocul. caligines, & cum melle ad vlcera vetera.

Humores craſſos incidit, lienem colliquat, viſcera deobſtruit. Galen.

Decoctum eius curat tertianas, vnde & febrifuga dicta eſt à nonnullis. peſti confert ſi edatur in accetariis vt ſcordium; prodeſt & veteribus cephalalgiis, epil. ictero, melanch. letharg. ſtupori, membrorum paral. conuulſ. vermes aurium necat, choleram purgat per vrinas, cum oleo, ad vlcera & vulnera valet; aluum à vermibus liberat. Mathi. lib. 3. cap. 96.



CHAMÆLEA, SEV MEZEREON.

CAP. CXXXIX.

CHAMÆLEA, quaſi parua olea, habet folia oleæ, ſed minora, purgant phlegma, formâ pilul. cum abſynthio & melle. cum melle trita ad vlcera mundanda valent. Vide plura apud Mathiolum. Dioſc. lib. 4. c. 151. Mathi. lib. 4. c. 166.



CHAMÆPYTIS.

Cap. CXL.

DICITVR aiuga, abiga & ibiga, vnde iba & iua. Gallicè, *iue muſcade & arthetique.* Eſt herbula aizoo ſimilis, ramis incuruis, odore piceæ, flore luteo aut candido. Calida ſecundo gradu, ſicca tertio.

Dioſc. lib.3. c.158. Ictero medetur & iſchiadi, datur iecinoroſis, vrinæ difficultati & renum vitiis ac torminoſis, contra aconitum, durities mammarum emollit, vulnera & vlcera ſanat.

Galen. lib 8. ſimpl. Prodeſt ictero, menſes educit, magna vulnera curat.

Plinius Renibus & veſicæ confert, & aduerſus ſcorpiones.

Math. lib.3. c.157. Calefacit, incidit, attenuat, abſtergit, purgat, curat iſchiad. dol. per 40. dies eius decoctum bibendo, expellit fœtum mortuum, confert omnibus morbis cerebri, neruorum & articulorum, epil. paral. & podagræ.



CHELIDONIVM MAIVS.

CAP. *CLXI.*

CHELIDONIVM Græcè idem sonat ac hirundinariā quod ea hirundines vtantur ad visum pullis restituendum, vel quod circa earum aduentum floreat. Habet folia ranunculi, florem leucoij, succum luteum. Amat parietes & loca opaca, calefacit & desiccat tertio gradu. Gallicè, dicitur, *esclaire.*

Succus eius, valet ad oculorum caligines. Radix pota cum vino & aniso valet ad icterum, sanat herpetes & dentium dol. cum vino. Diosc. lib. 2. c. 165.

Succus eius ad visum valet, & ad dentium dol. & icterum. Galen. lib. 8. simpl.

Quidam maius, cum aquilegia confundunt, mammis impositum menstrua sistit. Vmbilico vero tormina ventris & vteri dol. tollit. Puluis vulnera & vlcera curat. Mathi. lib. 2. c. 176.



CHELIDONIVM MINVS.

Cap. CXLII.

CHELIDONIVM Minus, scrophularia minor dicitur, ob radicem strumosam vel glandulosam, quæ grana frumenti refert. habet folia violæ martis, sed crassiora, flor. lut. ranunculi æmulam; amat humida loca & palustria,

Galen. est calid. sicc. quarto gradu ex Gal.

Diosc. lib. 2. c. 166. cutem exulcerat, tollit lepras & scabies. naribus inditũ purgat caput, & cum melle gargarizatũ, caput & pectus euacuat.

Galen. Vngues scabros eiicit.

Mathi. lib. 2. c. 177. Est maiori acrius, cutem exulcerat, & vngues corruptos deiicit. per nares succus eius inditus cerebrum purgat.



CHÆREFOLIVM.

Cap. CXLIII.

CHÆREFOLIVM, Gallicè, *Cerfueil & Salmille.* dicitur etiam gingidium

gingidium, primum autem nomen obtinuit quod foliis luxuriet; in hortis colitur. deſiccat & adſtringit.

Stomacho eſt vtile, vrinamque cit, ciborum tollit faſtidium, crudum vel elixum mirè ſtomacho vtile eſt. menſtrua prouocat. Dioſc. lib. 2. c. 123. Galen.

Corpori vtile eſt, adſtringit; eſt cal. & deſiccans. Mathi. lib. 2. c. 131.



CHINÆ RADIX.

CAP. CXLIV.

RADIX hæc ab India & China venit. & ſpongioſa eſt ac ſubrubra. valet ad podagram, ad luem veneream perutilis eſt & ad deſiccandos humores pituitoſos, ſi eius decocto vel ptiſana ægri vtantur in potu ordinario. Math. lib. 1. c. 111



CHRYSANTHEMVM.

CAP. *CXLV.*

CHRYSANTHEMVM dicitur quod flores eius auri ſplendo-

rem habeant. habet fol. apii vel ranunculi. Gallice dicitur *marguerites*. Eſt cal. ſicca.

Steomata diſcutit, icterumque.
Ad calculum proſunt.
Flores eius reſoluunt apoſtemata.



CICADÆ.

CAP. CXLVI.

Dioſc. Galen. lib. 11. ſimpl. Mathi. lib. 2. cap. 45.

CICADÆ comeſæ ad veſicæ morbos valent. Vide Galenum. l. 11. ſimpl. & Mathiolum, qui dicunt valere ad dolores veſicæ & febrium acceſſus.



CICER.

CAP. CXLVII.

CICER vel Erebinthus, Gallicè, *pois chiche*, eſt album, ruſſum & nigrum. Nigrum eſt flore purp. album candido. Eſt cal. ſic. primo ordine.

Dioſc. lib. 2. c. 92.

Vrinam cit, menſes & fœtus ducit, inflationes parit. Cum melle & hordeo ad ſcabiem, impetig. vlcera maligna, in-

flamm. & achoras illinitur, decoctum eius cum roremarino potum valet ad icterum & hydropem. Aluum soluunt & semen augent, calculos frangunt, renes lienem & iecur expurgant. Galen.

Ventos progenerant, luxuriam augent, abstergunt & calculos rumpunt. Mathi. l. 2. c. 97.



CICHORIVM.


Cap. CXLVIII.

CICHORIVM, alias intybus, endiuia; syluestres vero, scariola, spina in dorso, & dens leonis, Græce σέρις, sub quibus est chondrilla, flore sunt cærul. & luteo.

Stomachum iuuant, aluum sistunt coctæ & cum aceto comesæ, cardiacis, podagræ, oculis inflam. aptæ sunt, vt & scorpionum ictibus & igni sacro cum polenta. Cum cerussa & aceto succus eius refrigerat optimè. Diosc. lib. 2. c. 118.

Iecori confert, ac tertianis, ictero & obstructionibus. Simeō Sethi.

Hepati conducunt calido eiusque obstructionibus. Mathi. lib. 2. c. 125.



CICVTA.

CAP. CXLIX.

CICVTA dicitur κώνειον ob stultitiam quandam sic dictam, quam inducit, caulem fert geniculatum vt fœniculum, florem subalbum, fol. vt ferulam. In pratis & vmbrosis locis nascitur. Gallicè dicitur *cigue* vel *cocue*. Refrigerat summè & est venenum quo Athenienses reos puniebant, & quo Socrates periit.

Mathi. lib. 4. c. 74.

Merum ei resistit, in collyriis dol. tollit oculorum, succus illitus herpetes & erysipelata restinguit, lac extinguit, genitalia languida reddit, mammas imposita crescere vetat.

Diosc. lib. 4. c. 67.

Ex Galeno vero stultitiam epota inducit.

Galen. lib. 7. simpl. &lib. mores sequi temp.



CINNAMOMVM.


CAP. CL.

CINNAMOMVM uerum antiquorum vix reperitur, nunc vero

arboris Gallicè *Canelle* dictæ cortex, vel cassia lignea eius locum tenent.

Vtile est ad collyria, ad visum clarificandum, cum melle lentes faciei tollit menstrua prouocat, ad viperarum morsus, renum morbos & internas obstructiones valet, matricem deobstruit. Diosc. lib. 1. cap. 13.

Aqua eius destillata vrinas & menstrua mulierum prouocat, omnibus morbis frigidis confert, tollit nauseam, venenis resistit, syncopen curat, phlegma cõsumit, cerebrum, lienem, iecur, stomachum & neruos roborat. Mathi. cap. 13. lib. 1.



CINNABARIS.
CAP. CLI.

NATVRA Cinnabarin producit, fit & arte ex sulfure & argento viuo. Mathi. lib. 5. c. 68.

Est minera argenti viui, eius vapores nocent, quare qui in his fodinis operantur faciem tegunt, habet vires lapidis hæmatitis, confert oculis, sang. sistit & confert ambustis cum cerato. Diosc. l. 5. c. 74.

Sunt Chimici quidam qui ex cinnabari naturali ex Hispania veniente, panaceam elici posse contendant.



CISTVS. LEDVM. LADANVM.

CAP. CLII.

Diosc. lib. 1. c. 105. EST arbuſcula humilis, flore albo vel ſubrubro, fol. rotundo, cuius flores contuſi dyſent. proſunt, vlceribus corroſiuis ac antiquis, & ambuſtis.

Mathi. lib. 1. c. 109. Prodeſt & debil. ſtomachi. vt & hypociſtis quæ ſub eo naſcitur, hæmoptoi confert & menſtruis immoderatis dyſent. & cœliacis.

Ledum. vero, eſt fol. oblongis, ab eo, ladanum gummi colligitur pectine, è barbis caprarum ledum depaſcentium; hoc gummi roridum, capillos auget, & eorum ſiſtit defluuium, confert & morbis vteri. Diosc. lib. 1. c. 107.



VIOLA, CLAVELLATA.

CAP. CLIII.

EST genus violæ, Clauellata & trinitatis dicta, Gallice *penſee*, aliis viola tricolor, in aruis ſponte naſcens, quæ

eſt valde acris & habet ſymphiti temperiem. Aſthmati, pulmoni, phlegmonibuſque prodeſt, à quibus pus educit. epilepſiam puerorum tollit, ſcabies, pruritus & alia vitia cutis, vlceraque glutinat.

Comeſa valet ad hernias inteſtinorum. Mathi. lib. 3. c. 106.

CÆPEA.

CAP. *CLIV.*

EST vt ſpecies portulacæ (vel ſemperuiui, ſed folio latiore) vrinas mouet & ad veſicas ſcabioſas datur ex Dioſc. Mathi. lib.. 3. c.150. Dioſc. lib.3. c.151.



COLCHICVM, VEL EPHEMERVM.

CAP. CLV.

COLCHICVM dicitur à Colchide patria & ephemerum quod vna die necet. vel quod flos eius per diem tantum perduret. à quibuſdam dicitur, lilium conuallium, *grand muguet*, emerocallis & pſeudohermodactylus,

habet folia lilij & flores albos valde odoratos, rad. extra nigram, sed hermodactylus florem croci æmulatur & ab eo differt. Autumno nascitur, est cal. sic. secundo gradu, dicitur hic etiam bulbus & in medio diuisus est, vuluamque refert. At lilium conuallium habet rad. gramineam & serpentem, bulbus vero, quem verum colchicum existimo, bulbosam. Vmbras hic amat, colchicum prata.

Diosc. l. 4. c. 72. 73. Colchicum strangulat si eius radix comedatur, quæ tamen suauis est, abigit pediculos; eius remedia eadem sunt quæ ad fungos, vt lac bubulum, &c.

Mathi. lib. 4. c. 79. Vide Math. l. 4. c. 79.

Diosc. l. 4. c. 72. 73. Decoctũ eius tollit dentium dol. folia tusa œdemata & tubercula discutiunt.

Repellit & halitu digerit.

Galen: Ex aliis prodest oculorum morbis, attonitis, syncopi, vertigini, phrenitidi. & morbo comitiali, cor, iecur & cerebrum roborat, quæ de lilio conual. intellige.

Mathi. l. 6. c. 5. & l. 3. c. 120. Vide Math. l. 3. c. 120. vbi ait, lil. conual. verum, flore albo odorato, fol. lato, Gallice, *vray muguet,* roborare cor cerebrumque, & valere ad epil. vertig. conuulſ. cardialg. & lipothymias. Vt

& ad oculorum inflam. & partum difficilem.



COLOCYNTHIS.


Cap. CLVI.

COLOCYNTHIS, seu cucurbita syluestris, Gallice, *coloquinte, courge sauuage.* Repit, habet fructum paruum, folia cucumeris vel vitis, florem subpallidum, fructum amarissimum. Nascitur in locis calidis, calefacit & desiccat tertio ordine.

Eius medulla cum mulsa sumpta purgat bilem, in clystere valet ad ischiad. (imò sola frictione.) et paral. ac colicum dol. apposita fœtum enecat, excrementa educit si sedi admoueatur, gargarisma eius valet ad dentium dol. bilem & phlegma purgat, aliquando vsque ad sang. Semen eius valet ad icterum & planta alligata, febres tollit. Diosc. lib. 4. c. 156.

Purgat cerebrum & neruos, musculos, pectus & pulmones, eius pilulæ conferunt vertigini, dol. capitis antiquo, asthmati, tussi veteri & oculis lachrymantibus, ad omnes dol. iuncturarum, Plinius Mathi. lib. 4. c. 171.

podagras, ischiad. &c. Ast dol. colico mire confert, aquas hydrop. euacuat, cum oleo valet ad dol. aurium & tinnitus, & denigrat capillos, impeditque canitiem.



CONYZA.

Cap. *CLVII.*

Diosc. lib. 3. c. 123. CONYZA vel pulicaria, est maior, Media & minor, folio oleæ, flore luteo. fætet, fumus eius serpentes & muscas fugat, pulices necat vnde pulicaria dicta est, ictibus serpentum admouentur eius folia vt & vulneribus, decoctum foliorum mouet menstrua & fœtum educit, vtile est ictero, torminibus & epilepsiæ, suff. vteri & admota folia vmbilico abortum faciunt; Fronti vero, cephalalgiam tollunt.

Mathi. lib. 3. c. 119. Galen. lib. 7. simpl. Calefacit valde, rigores febrium cum oleo cocta tollit, vnctione. Vide Galenum.



CONSOLIDA.

Cap. CLVIII.

VARIÆ sunt consolidæ, quarum vires vide capitulis suis, nempe, consolida bellis, prunella, bugula, solidago, symphitum, auricula vrsi, scrophularia maior, & delphiniũ seu consolida regia.

SYMPHYTVM MAIVS. CONSOLIDA MAIOR.

DICITVR & consolida & solidago, (Gallice, *consyre & oreille d'asne*) quod constringat & glutinet vulnera. Florem habet luteum, fol. fere borraginis, flores varij coloris. Calefacit & exiccat secundo gradu.

Radix trita & pota hæmoptoi ruptisque prodest, vulnera recentia glutinat & sedis inflam. tollit. Diosc. l.4. c.8.

Pus & sang. thoracis & pulmonis educit. Enterocelis & conuulsis, ruptisque prodest cum oxymelite, vt & dysent. & menstruis nimiis. Galen.

Symphytum petreum vero, ex iisdem valet ad gutturis asperitates & ramices,

ſitim extinguit, incidit humores, nephritidi & renum dolori prodeſt.

Mathi. lib. 4. cap. 9. Datur in potu ad rupturas inteſtinorum & vulnera interna, præcipuè pectoris, ſang. coagulatum in ſtomacho diſſoluit.



CONSOLIDA MEDIA.

CAP. *CLIX.*

CONSOLIDÀ media, à quibuſdam maior dicta, eſt caule quadrato, lanuginoſo & amat aquas, fœtet, florem habet ſubpurpureum, folia ormini maioris, bina oppoſita ſimul per interualla.

Mathi. lib. 4. cap. 9. Sanguinis grumos diſcutit & è corpore ejicit, curat oris aphthas. Decoctum eius tumores diſcutit & curat intertrigines, vlcera pudendorum & exulcerationes inteſtinorum.



CONSOLIDA VEL SOLIDAGO.

CAP. CLX.

CONSOLIDA vel solidago Saracenica, dicitur etiam ceratophylax, quod corneæ oculorum conferat membranæ, Gallicè, *herbe forte.*

Caule rubescit, fol. longis & serratis est. fl. lut. radice foris rubra, abit in pappos, adstringit, amara est, & siccat. Curat fistulas, & vulnera seu folia imponas seu puluerem, eaque mundat & solidat.



CONSOLIDA MINOR. VEL BELLIS.

CAP. *CLXI.*

CONSOLIDA minima vel bellis, dicitur Gallicè, *pasquetes* à tempore quo prouenit, & *consyre petite, marguerites.* Est maior, minor & hortensis, flore est semialbo & rubescente cum 55. barbulis circa, fol. pingui in rotundum

oblongo. Nascitur in pratis. Est cal. sic-
Plinius ca. Valet ad strumas discutiendas. Est
etiam vulneraria secundum omnes au-
thores. In capitis fractura admouetur
vtiliter, ad paralysim laudatur, & ad
podagr. & ischiad.

Mathi. lib. 3. c. 139. Ischiad. dolori confert & paral. in potu, ventrem mollit in omphaciis, inflammationi genitalium confert, aphthis prodest, & resoluit.



CONVOLVVLVS.

CAP. *CLXII.*

CONVOLVVLVS, volubilis, viteolis & helxine cissampelos idem sunt, sic dicitur quo voluat se inter alias plantas vt vitis per capreolos, vt & quod inter vites nascatur & folia hederæ habeat. Gallice vocatur, *campanete* à florum figura, *vitreole* à vite & *lizet* ac *lizeron*, quod flore lilium fere æmuletur, primo est candidus deinde subrubescit. Est calid.

Diosc. Succus fol. potus aluum laxat.

Gal. l. 6. simpl. Digerit, & resoluit.

Mathi. l. 4. c. 35. Vide plura apud Mathiolum.



CORIANDRVM.

Cap. *CLXIII.*

CORIANDRVM dicitur & coriamnum & corion à corio, quod oleat cimices. figuram fumariæ habet, florem cand. ſemen rotundum. ſeritur in terra pingui.

Refrigerat, ideoque illinitur eryſip. & herpetibus, tollit etiam inflam. teſtium, carbunculos, epinyctidas &c. cum melle & vuis paſſis, ſtrumas & tubercula diſcutit, lumbricos tollit, genituram auget, ſed menti nocet nimius eius vſus. Dioſc. lib. 3. cap. 61.

Valet ad eryſipel. refrigerat, Pliniuſque id confirmat, & ad tumores commendat. inter venena annumeratur à Dioſc. l. 6. & à Sennerto, quia capiti nocet, quamuis alii illud roborare aſſerant. Galen. lib. 7. ſimpl. & l. 8. c. 4. de comp. med. Plinius Dioſc. Sennert.

Stomachum roborat, phlegmonas curat, ſang. ſiſtit impoſitum, lumbricos educit ſi bibatur, ſed deliria inducit. Simeō Sethi.

Ad ructus acidos ſemen bibitur, ad cœliacam paſſ. & alui fluxum. Mathi. lib. 3. cap. 61.



CORNVS.

Cap. *CLXIV.*

Theophr. l. 3. cap. 12. hist. plant. CORNVS seu virga sanguinea, Gallicè *Cormes.* fructus Græcè σα sorba, *cormier torminal,* fol. platani habet, folia amydali, fructum oblongum, rubrum, oliuæ figura.

Diosc. lib. 1. c. 132. Ex Diosc. fructus eius aluum sistit, imò dysenteriam.

Id. cap. 136. Sicca, aluum sistunt melius.

Mathi. lib. 1. c. 135. Adstringunt.



CORALLIVM.

Cap. *CLXV.*

Diosc. lib. 5. c. 103. CORALLIVM seu lithodendrum adstringit & refrigerat modicè, carnis excrescentias consumit, & oculorum cicatrices mundat, replet vlcera profunda & eorum cicatrices, valdeque confert hæmoptoi & dysuriæ, potum

Gal. l. 7 de cóp. med. cum aqua lienem absumit.

Galenus idem asserit & Mathiolus qui

qui ait etiam epotum conferre epilepſiæ vt & ſi feratur, menſtrua nimia ſiſtit, dentes mobiles firmat, vlcera oris & gingiuas eroſas curat, dyſent. & fluxum ſpermaticum virorum, hæmoptoim & lienem conſumit, cicatrices ſubtiliat phthiſim præuenit. Mathi. lib. 5. cap. 97.



CORALLINA.

CAP. CLXVI.

OPTIME adſtringit & impedit apoſtemata. Confert etiam podagræ calidæ. Dioſc.

Eſt muſcus marinus conchis & ſaxis innaſcens qui adſtringit. Mathi. lib. 4. cap. 94.

Dicitur Malhorquiana quod in Maiorica inſula reperiatur. Idem.

Conferua, eſt etiam eius ſpecies quæ in fluminibus reperitur dicta quod vt ait Mathiolus oſſa mirè conferruminet vt exemplis probat. Vide de eo Gal. Galen. lib. 6. ſimpl.



CORONOPVS.

CAP. CLXVII.

CORONOPVS, cornu cerui, castrion, pes cornicis & sanguinaria idem sunt, sed à figura dicitur cornu cerui & pes cornicis. Humi repit, vias amat. sang. sistit. adstringit.

Diosc. l. 2. c. 116. Mathi. lib. 2. c. 123. Plinius Galen.

Cœliacis conducit, fluxus sistit omnes ex Mathiolo, Plinio, & Galeno.



COSTVS.

CAP. CLXVIII.

Diosc. & Mathi. lib. 1. cap. 15.

EST radix alba, leuis, suaueolens, vrinas pellit, calefacit, prodest morbis matricis, ad dolorem pectoris & ventositates ac conuulsiones valet: potus vermes necat, in antidotis ponitur, luxuriam cit, vnctione lentigines tollit, paralysi confert, febrium rigores vnctione tollit & curat morsus viperarum.

Adulteratur, quare melius erit vti angelicâ eius loco.



CRASSSVLA.

CAP. CLXIX.

CRASSVLA maior & minor eſt, dicta ſic ob craſſitiem ſuam, dicitur &telephium à Rege Telepho, illecebra, faba craſſa, pinguis inuerſa & fabaria à figura foliorum, Gallice, *orpin*, *chicotrin*, *graſſete & herbe de la Mere de Dieu*. Vineas & loca culta amat; ſanat vitiligines & tollit alphos cum aceto. Dioſc. lib. 2. c. 170.

Vitiligines albas curat, detergit & exiccat, vlcera curat putrida. Galen. lib 8. ſimpl.

Lentigines tollit & fiſtulas ac vulnera curat. Plinius

Abſtergit & deſiccat. ſang. ſiſtit, curat vlcera difficilia. Eſt calida primo gradu & exiccat ſecundo. Mathi. lib. 2. c. 181.



CRATÆOGONON.

CAP. CLXX.

HABET folia Melampyri, grana vt milium, ſyluas amat, acre Dioſc. lib. 3. c. 126.

Mathi. lib. 3. c. 122. eſt, ſi eo mas & fæmina vtantur, concipient.



CRESSIO.

Cap. CLXXI.

CRESSIO, Cardamum naſturtium ſatiuum Gallicè, *Creſſon Alenois*, idem ſunt: aquis innaſcitur. calefacit & deſiccat ordine quarto, nocet ſtomacho, aluum tardat, lumbricos pellit, lienem minuit, fœtus in vtero necat, menſtrua cit veneremque irritat, lepras & impetigines tollit, Carbunculos maturat & rumpit, ſerpentes ſuffitu fugat inflamm. diſcutit, & furunculos curat.

Dioſc. lib. 2. c. 141.

Galen. Coxendicis dolores & capitis tollit.

Plin. Strumis illinitur, tuſſi cum melle & Carcinomatibus confert, alopecias emendat, & dentium dolorem.

Infuſum in aures, phagedænas & carbunculos tollit.

Math. lib. 2. c. 120. & 121: Calefacit, incidit, vrit, attrahit reſoluit epotum. ſemen choleram purgat, viſum Clarificat, ſuccus dolorem dentium tollit calidè in aures inſtillatus,

mentem acuit vnde eius fit mentio in prouerbiis.



CROCVS.

CAP. CLXXII.

CROCVS sic dictus est à Iuuene in eum mutato, Gallicè, *saffran*, calefacit secundo exiccat primo gradu, & parumper adstringit.

Emollit, coquit, vrinas cit, oculorum fluxioni & crapulæ vtilis est, venerem stimulat, sed ad drachmas tres eius haustus lethalis est. concoctionem iuuat. Diosc. lib. 1. cap. 25. Galen.

Prodest suffocationi vteri, tussi pleuritidi & inflammationi pectoris, renum, iecoris & vesicæ. Plin.

Qui crocum biberit non sentit crapulam, coronæ eius eam etiam impediunt.

Obstructiones tollit. Simeō Sethi.

Est maturatiuus ob calorem suum cum quadam adstrictione quare emplastris, &c. miscetur. Mathi. lib. 1. cap. 25.



CRVCIATA.

Cap. CLXXIII.

Fuchsius.

CRVCIATA, caulem rotundum habet folia angusta & longa & flores orbiculatim dispositos, rad. purpur. perforatam, albam, ordine foliorum est cruciformis. est calida & sicca; abstergit, menses mouet, comitiali morbo confert, vulnera glutinat, & vltimò enterocelis prodest.



CRYSTALLVM.

Cap. CLXXIV.

Renodeus. l. 2. mat. med. sect. 2. cap. 12.

CRYSTALLVM est lapis qui ingreditur vnguentum citrinum ad icterum & obstructiones. fit ex eo oleum Chymicum ad idem.



CVBEBÆ.

CAP. CLXXV.

EST paruus Indiæ fructus, instar piperis, calidus initio tertij gradus. stomachum roborat, ventos dissipat ab eo, pectus euacuat, masticatus phlegma allicit & cerebrum corroborat. Math. lib. 1. cap.10.



CVCVMER.

CAP. CLXXVI.

CVCVMER vel cucumis, Græcè, *σίκυς.*

Est frig. humid. bonam facit aluum, refrigerat, stomacho non nocet, vesicæ prodest, vrinam cit. Folia eius sanant canum morsus & inflam. oculorum cum lacte. Valet etiam ad vesicæ inflammationem, ad Siriasim, oculorum fluxiones auertit si imponatur. Succus cum farina mixtus cutem deterget. Radix vero vomitus mouet. Diosc. lib. 2. c. 121.

Abstergit & incidit, choleram morbum inducit. Galen. lib. 6. simpl.



CVCVMIS ASININVS SEV SYLVESTRIS. ELATERIVM.

Cap. CLXXVII.

Diosc. lib. 4. c. 134.

AMAT rudera, eſt cal. ſic. ſuccus eius aurium dol. inſtillatur.

Radix œdemata rumpit cum polenta, cum aceto vero valet ad podagram, iſchiad. dentium dol. hydropemque. Ex eo fit elaterium quo ſi linguam ſubtangas vomitum ciebis, in peſſo necat fœtus, anginæ & capitis dolori diuturno confert.

Galen. Menſes cit, ictero prodeſt.

Math. lib. 4. c. 149. Cucumeres admouentur inflamm. in febribus ardentibus. Maſticantur ad tollendos ardores, & lentes tollunt frictione.

Idem. Elaterium purgat vt ſcammonium, pituitam, bilem, & emicraniam curat antiquam.

Epilepſiæ confert, cerebrumque purgat naribus inditum.



CVCVRBITA.

Cap. CLXXVIII.

CVCVRBITA sic dicitur à curua figura, Græcè, colocynthis, Gallice, *courge, citrouille.* Est maior, minor, oblonga, verrucosa, &c.

Frigida & humida est 2. gradu. Galen. lib. 8. simpl.

Cruda admota, œdemata & abscessus mitigat, valet ad inflam. oculorum, podagræ, &c. Succus instillatur aurium dolori, adusta mitigat. Succus eius cum melle aluum laxat. Diosc. lib. 2. c. 120.

Sitim arcet comesta. Febrium ardores temperat rosaceo mixta & inuncta, vulnera veretri purgat & claudit aliaque. Valde nutrit, vrinam cit, pulmoni prodest, venerem extinguit. Galen.

Admotæ vberibus puerperarum lac extingunt, florum earum oleum ardores renum tollit, cinis earum, ambusta & vlcera pudendorum curat, succus aurium dolori prodest. Mathi. lib. 2. c. 127.

Stomacho nocet. Gal. de alim.



CVMINVM.

CAP. CLXXIX.

Diosc. lib.3.c. 58.59. Hipocrat. CVMINVM venit è Galatia, est vel Regium, ab Hipocrate sic dictum, vel Syluestre, habet folia tenuia, denticulata, vt gingidium, cum capitulis rotundis.

Prodest morsibus serpent. & asthmati, menstrua retinet, apostemata curat genitalium, ventos pellit.

Gal. l. 7.simp. Eius vtimur semine vt anisi, ventos arcet, vrinas prouocat.

Mathi. lib.3. c.60. Valet ad oculorum epiphoras & tumores cum melle, & ardori vrinæ, ac ictero confert.



CVPRESSVS. ET CHAMÆCYPARISSVS.

CAP. CLXXX.

CVPRESSVS & chamæcyparissus easdem habent vires, quare simul in hoc cap. ponuntur.

Cupressus satis innotescit, chamæcyparissus vero flores habet instar auri fulgentes. Bonum spirat odorem, folia habet incana, abrotani folia referentia. Credo esse elichrysum.

Vires habet cupressi. Resiccat, adstringit & refrig. Folia vrinæ diff. medentur. Valent ad sanguinis reiectionem tussim, dysent. & alui fluxum tusa, duritics emolliunt. Diosc. lib. 1. cap. 81.

Ad herpetas, carbunculos & erysipelata prodest. Galen.

Decoctum nucum cupressi cum aceto tollit dentium dol. potum curat herniam si quotidie bibatur & certum est, vt & valere ad venenum serpentum & scorpionum. Mathi. lib. 1. cap. 86.



CVPRVM, VIRIDE ÆRIS ET ÆS VSTVM.

Cap. CLXXXI.

Ex cupro fit viride æris, quo vtimur ad multa vt in eius capite dicemus. Æs vstum valet ad attrahendum, adstring. desicc. repellendum & ad vlcera mundanda & cicatrisanda. Renodeus l. 2. sect. 3. c. 5. mat. med.



CVSCVTA.

Cap. CLXXXII.

CVSCVTA vel cassytha & podagra lini, Gallice *goute & agoure de lin.* Si maioranæ, satureiæ vel thymo innascatur dicitur epithymum, reperitur & in orobo, lente, vicia, &c. Filamenta tantum habet cum flosculis albis, sed sine foliis est, herbis tantum adnascitur & eas adeo nonnumquam fugit vt eas suffocet. Calefacit primo gradu & desiccat 2. Iecori confert, lienique obstructis, vrinam pellit, regio morbo & febribus puerorum vtilis est.

Mathi: lib. 4. c. 172. Abstergit, mundat iecur & lienem, vrinas mouet, sang. mundat à phlegmone & cholera, icterum curat & febres infantium. Vide epithymum.



CYANVS.

Cap. CLXXXIII.

CYANVS, dicitur etiam baptiscula, quod metentibus officiat, fal-

cem retundens. Gallice *blaueole, blauet, bluet, aubifoin.* Prodeſt oculis aliiſque partibus inflammatis. Eſt frig. & repellentis facultatis.



CYCLAMEN.

Cap. CLXXXIV.

CYCLAMEN dicitur quod in orbem ſit effigiatum, rapum terræ, vel vmbilicus & tuber terræ à radicis craſſitie, arthanita,panis porcinus,quod ab iis diligatur.

Habet folia vt chelid. minus, flores violæ martis, reperitur flore albo, purp. &c. Amat vmbroſa, eſt cal. ſic. 3. ordine.

Pituitam & aquas, menſeſque educit abortum facit & partum accelerat appenſum tantum, valet in vino potum contra venena, ebrietatem in vino allicit, ictero confert, aluum emollit, ſi vmbilico apponatur, radix cutem mundat, lienem minuit, alopecias tollit, confert podagræ, vlcera curat. Dioſc. lib. 2. c. 15.

Ora venarum aperit hæmorrhoidaſque, necat in peſſo conceptum, potu Galen.

bilem educit per sudorem & curat ićterum si ad drach. tres sumatur. Exanthemata curat, lienemque induratum, & asthmati est vtile.

Mathi. lib. 2. c. 159. In potu vel clystere purgat phlegma, naso vero inditum ex Mesuë purgat cerebrum, sistit sanguinem nasi & hæmoptoim, deobstruit iecur & lienem, ićtero & hydropi confert cum rheo, admouetur tumoribus duris & scroph. lienique duro, in clystere ad tormina & colicum dol. aurium tinnitus tollit cum oleo chamæmeli, vt & oris vlcera & dol. dentium.



CYNOGLOSSVM.

CAP. *CLXXXV.*

CYNOGLOSSVM, id est lingua canis ob foliorum figuram, habet folia oblonga, lanuginosa & flaccida, flos eius est purp. & postea fit ceruleus, circa itinera nascitur. Est frig. sic. 2. gradu.

Oris vlcera, aliaque pessima curat, dysenteriæ prodest, vulnera etiam & luem veneream minuit, gonorrheæ medetur

& diſtillationibus;ex eo fiunt pilulæ officinales dictæ de cynogloſſo.

Folia eius impediunt vulnerum inflam. Mathi. lib. 4. c. 124.

Curant morſus canum, ambuſta & alopeciam, aluumque molliunt. Dioſc. l. 4. c. 111.

Rad. valet ad quartanas. Plinius lib. 25. c. 8.



CYPERVS.

CAP. CLXXXVI.

SIC dicitur quaſi cyprius, Gallicè *ſouchet*, eſt iunci ſpecies, caule anguloſo, rad. nigris, forma oliuarum, amat loca humida & paludoſa, calefacit & exiccat mediocriter.

Rad. vrinas mouet & calculos tollit, prodeſt hydropi & ſuffoc. vteri, ictibuſque ſcorpionum, oris vlcera etiam curat. Dioſc. lib. 1. cap. 4.

Cicatrices inducit vlceribus humidis, menſes mouet. Galenus.

Semen potum ſiſtit menſtrua & aluum. Plinius.

Menſtrua prouocat, ad calculi dol. valet, vlceraque nimis humida, vt oris, &c. Mathiol. l. 1. c. 5.



CYTISVS.

CAP. CLXXXVII.

Diosc. l.4. c. 96. & Math. lib. 4. c.108.

EST arbuſcula alba, trifolia, vt fœnugræcum, odore erucæ ſi fricetur, refrigerat tamen, eius calaplaſmata tumores naſcentes reſoluunt, eius verò decoctum vrinas mouet.

Columella l.9.c.4. de Agric. & Plin. l. 13. c. 24.

Eius folia, vt illa maluarum reſoluunt.



DAVCVS. CAVCALIS.

CAP. *CLXXXVIII.*

DAVCVS eſt ſpecies paſtinacæ Syluestris, cuius tres ſunt ſpecies nempe, Creticus, ſyluestris & vulgaris. Gallice, *Carotte ou panets ſauuage.*

Fuchſius

Habet folia fœniculi, caulem dodrantalem, vmbellam coriandri, florem cand. ſemen hirſutum & odoratum ſi mandatur, rad. capillatam & calid. luxuriam mouet, vrinas & menſes ciet, ventos generat,

Math. lib. 3. c. 69.

nerat, resoluit. Amat loca petrosa & aprica.

Calefacit & exiccat, præcipuè semen. (folia enim minus calida sunt,) potum menstrua, fœtus & vrinas mouet. Tormina tollit, tusses diuturnas lenit, morsus phalangiorum curat cum vino, œdemata litum discutit, radix cretici datur ad venena & aduersus serpentes ex Plinio. Stranguriæ medetur. Et capitis dolori, secundinas, calculos & tela infixa ejicit. Diosc. lib. 3. cap. 73. Galen. lib. 6. simpl. Plin.

CAVCALIS.

CAVCALIS est eius species. Vrinas mouet. calculum educit, cordi prodest, renibus, iecori & lieni; semen visum clarificat, & gonorrheam tollit, menstrua euocat, quartanæ, lui, & scabiei confert. Diosc. ibid. Mathi. ibid.



DENTARIA MAIOR.

CAP. *CLXXXIX.*

DENTARIA est maior & minor, minor sanicula dicitur. Maior vero est planta syluatica, radice alba, succosa, squammis composita vt planta Mathi. l. 4. c. 9.

vltima Dalecampij, clandestina dicta, quæ eius species est; caulem habet villosum & tenerum vt orobanche, flore & foliis rubris est, semine papaueris, vere prodit primo, inter saniculas annumeratur, quod prosit ad vulnera, hernias, &c.

CLANDESTINA.

CLANDESTINA supra memorata venit etiam primo vere, florem è terra tantum educens, folia vero semper sub terra conduntur & crassa sunt & instar nucis pineæ sunt disposita, rad. vera quæ à paucis cognoscitur est lutea; flore est purpureo vel albo, circa salicũ truncos & riuos reperitur, & breuì transit, omnes eius partes, præcipuè folia alba & crassa in acetariis vtilia sunt ad fertilitatem inducendam, & ad omnes matricis morbos, occulta vi prodest.



DENTALI ET ENTALI.

CAP. CXC.

Renodæus. lib 3. c. 25. SVNT conchæ oblongæ, in quibus degunt vermes quidam marini, hæque entali vocantur, dentali vero vt

cornu acutum est, iis raro vtimur, nisi in quibusdam vnguentis pharmacopolarũ.



DICTAMNVM ET PSEVDO-DICTAMNVM, SEV FRAXINELLA.

CAP. CXCI.

DICTAMNVM est vel verum seu Creticum, dictum quod hæc insula magnam eius ferat copiam, & falsum seu fraxinella. Veri folia referunt pulegium, sed sunt maiora & lanuginosa, pseudo-dictamnum est minoris virtutis quare Cretico vtendum est, copiosè autem prouenit in Occitaniæ inferioris Castro, *Candiac*, vocato, vnde forsan ei nomen inditum. Elicit sagittas, aiuntque capras syluestres & ceruos id edocuisse, eius enim ope sagittas è vulneribus extrahere asserunt. Caret flore & semine, fœtum mortuum educit, spinas auellit, lienem minuit, partum iuuat, succus eius valet ad morsus serpentum, omnia venenata odore fugat. Est aliud instar origani florescens. Diosc. lib. 3. cap. 32.

Confert cerebro refrigerato & epilepsiæ. De eo vide Galenum. Mathi. lib. 3. cap. 33. Gal. l. 6 simpl.



DIGITALIS.

Cap. CXCII.

Fuchsius. cap. 342.

DIGITALIS, à nonnullis campanula dicta quod flos campanulas imitetur, ab eius vero longitudine & ordine florum digitalis dicitur. Gallice *gantelée, gans Nostre Dame.* Flore luteo, albo, & purpureo reperitur. Amat loca montosa, vmbrosa & saxosa, prata & dumeta. Planta hæc cubitalis est, folio lato & longo, serrato & hirsuto semine lato & longo, radice capillata, habet caulem quadrangularem, hirsutum rubescentem; flos nares vituli imitatur & est tanquam magnum antirrhinum, intus punctatum, radicem habet candidam & intortam.

Adstringit & exiccat, decoctum eius oris vlcera curat mirificè, aliaque vlcera. Est amara, calida & sicca. Et vno verbo vires habet gentianæ.




DORYCNIVM.

CAP. *CXCIII.*

EST planta amans loca arida, foliis oleæ ſed minoribus, flore albo, ſomnum dat & nimia doſi necat. Ad philtra etiam adhibetur. Dioſc. lib. 4. cap. 64.

Refrigerat vt mandragora. Vide Galenum. Mathi. lib. 4. c. 70. Galen. lib. 6. ſimpl.



DRACONTIVM, DRACVNCVLVS, SERPENTARIA.

CAP. CXCIV.

SERPENTARIA vel dracunculus maior ſic dicitur quod caulis eius ſerpentem variegatione æmuletur, flos eius fœtet, & eſt vt lingua cruenta exerta, dicitur & colubrina, & vt ſerpentes ſe ſub terra condit. Eius radix eſt rotunda & craſſa, folia laciniata ſunt & vt ea ellebori ſed longiora & molliora, fructus eius ruber eſt, & aro ſimilis. Dioſc.

Radix eius calefacit, datur cum mel- lib. 2. c. 151.

le elixa, tussi, conuulſ. destillationibus, rupturis, orthopneæ: cum vino pota venerem stimulat, tusa & cum melle lita curat vlcera maligna & phagedænica cum melle fit ex ea collyrium, valet etiam ad fistulas, fœtus euocat, polypos & carcinomata curat, abſumendo ea; ſuccus eius vtilis eſt ad albuginem & caliginem. Odore abortum cauſat, idem in potu facit Imponuntur vulneribus eius folia, & ſuccus; oleũ in aures ad earum dolores injicitur, viperæ hominem hanc plantam geſtantem non tangunt.

Galen. Radix eius viſcera omnia purgat, præcipuè à lentis humoribus, expurgat, exterget, alphos cum aceto curat, vlcera & vulnera foliis eius viridibus glutinantur, curat etiam cancros & polypos.

Mathi. lib. 2. c. 160. & 161. Curat vlcera difficilia & maligna.

Sennertus. Sennertus tandem aſſerit fuiſſe medicũ quemdam, cancrorũ medicum vocatum, quod cancros optime ſola eius radice curaret & ſic peregrinabatur & ſibi ingentem pecuniarum vim comparauit.

Iarrus ſub hac planta etiam continetur, quare dicitur, ſerpentaria minor.



EBVR.

CAP. CXCV.

EBVR adstringit, & tumores radicum vnguium curat. Diosc.

Ad albos mulierum fluores valet, si optime teratur cum lactucæ succo & aqua chalybeata. Mathi. lib. 2. c. 50.



ELLEBORVS ALBVS.

CAP. *CXCVI.*

ELLEBORVS, vel elleborum, Græce ἐλλέϐορος, quod cibum eripiat, dicitur etiam veratrum. Est albus vel niger. Albus sic dicitur à colore radicis, habet folia plantaginis vel gentianæ, radices multas tenues, flores spicatos, amat loca frigida, aspera & montana, in Anticyra est frequens, cal. & sic. tertio ordine est.

Est vtilis in collyriis, menses ducit, fœtus in vtero necat, imò tantummodo appositus, sternutare facit, mures necat cum polenta. Diosc. lib. 4. c. 130.

Galen. lib. 6. simpl. Ad Alphos, scabies, impetigines & lepras bonus est; callum fistularum detrahit duobus aut tribus diebus, si eis infundatur.

Mathi. lib. 4. cap. 146. Prodest stultis, vomitus facit, bonus est comitiali morbo, vertigini, tetano, podagræ & hydropi.



ELLEBORVS NIGER.

CAP. CXCVII.

Diosc. lib. 4. c. 131. EST hortensis, falsus & syluestris; habet pediculum longum, foliis nudum, præter in summo, vbi sunt valdè diuisa & serrata, 7. vel. 9. incisuras habet, syluestris verò minores sunt, amat montes, semen habet in siliquis vt cicer. falsus vel syluestris purgat vt verus, ventrem inferiorem, flauam bilem, & pituitam. In pesso, menstrua ciet, prodest insanientibus, melancholicis, & doloribus articulorum, fœtus necat, lepras, scabies, &c. curat, pediculos inspersus necat, oues vero & alia animalia si comedatur. Est cal. sic. tertio gradu. Eius radice, curantur boues a variis morbis, transacta vt setum, per palearia.

Mathi. lib. 4. c. 146. Eo curaui febres quartanas, etiam me-

dia hyeme, secunda vice qua eius infusum, meo modo paratum acceperunt, error est, quod noceat, millies enim dedi, mea ratione præparatum, sine vlla noxa. Datur insanis & leprosis; dentium dol. & callos fistularum tollit.



ENVLA CAMPANA.

CAP. CXCVIII.

ENVLA campana, seu inula, Helenium dicta est, quod ab Helenæ lachrymis natam fabulentur, vel quod ab ea primo ad morsus serpentum vsurpata fuerit, vel potius ab Helene, maris Ægei insula. Gallice dicitur, *aulnée*, habet caulem angulosum, hirsutum, ad hominis altitudinem, florem luteum, instar calendulæ, folia verbasci sed angustiora, semenque ei simile. Mathi.

Nascitur in montanis & vmbrosis; est calida sicca.

Decoctum radicis, vrinas & menses cient. Tussi, orthopneæ rupturis. conuulsionibus, inflationibus venenatis prodest, folia ischiadi dol. illinuntur, radix condita stomacho vtilis est. Diosc. lib. 1. c. 27.

Galen. Manducata, dentes firmat, tussim emendat & purgat crassos humores.

Mathi. lib. 1. cap.27. Pulmonicis mirè confert, quare remediis ad morbos pulmonum misceri debet, præcipuè in looch; vt à crassis purgentur humoribus; valet etiam ad iuncturarum dolores, vt ischiad. &c.



EQVISETVM.

Cap. CXCIX.

EQVISETVM, Græce, Hippuris quod caudam equi æmuletur. Gallice, *presle*, est vel sublongum, vel minus. In aquosis locis nascitur. Adstringit.

Diosc. lib.4. cap.38. Succus eius sistit hæmorrhagias & dysenterias, vrinasque ciet. Folia, vulnera glutinant; tussi, orthopneæ & rupturis in aqua pota conferunt, vt & ad vesicæ dissectionem curandam.

Galen. lib. 6. simpl. Maxima vulnera glutinat, & ad ventris profluuia valet.

Mathi. l. 4. c. 42. Decoctum eius haustum curat renum & vesicæ vlcera, confert hæmoptoi, menstrua sistit, curat vulnera magna, rupturas intestinorum retinet, hæmorrhagias narium cohibet.



ERICA.

CAP. CC.

ERICA, Gallice, *bruyere*, loca arenosa amat, est cal. sicca, ob amaritudinem suam.

Comæ & flores eius medentur serpentum morsibus. Plinius idem confirmat. Diosc. lib. 1. cap. 96. Plin.

Ex Galeno vero discutiunt. Galen.

Alij aiunt eius decoctum, lumborum & ventris dolori & succum oculis imbecillibus conferre.

Eius decoctum calculum rumpit. Mathi. lib. 1. c. 100.



ERINGIVM.

CAP. CCI.

ERINGIVM, vel iringus, corruptè, dicitur Gallicè, *chardon à cent testes*. Est planta aculeata, radice acri, oblonga, nigra extus, fol. latis & ambitu aspera est, gustu odora, capitulis globosis, amat rura & vias. Est parumper calida, sed magis sicca. Fuchsius.

Diosc. lib. 3. cap. 22. Calefacit, & radix epota menſtrua ac vrinas pellit, tormina diſcutit, cum vino iecinoroſis & morſibus venenatis Aetius ſuccurrit, comitialibuſque. colicis prodeſt & calculo, ſtillicidio vrinæ, renumque vitiis.

Mathi. lib. 3. cap. 21. Decoctum rad. tollit opilationem iecoris ac lienis, confert hydropi, ictero, dyſuriæ, cardialgiæ, renum & matricis obſtructionibus; extrahit ſpicula, &c. infixa, ventrem adſtringit, ſcrophulas reſoluit, lui venereæ confert, quartanas & quotidianas febres ſanat.

ERVCA.

CAP. CCII.

ERVCA, Græce, εὔζωμος, Gallice, *roquete*, dicitur.

Diosc. lib. 2. c. 126. Ad luxuriam incitat, vt & ſemen eius, vrinam mouet, digeſtionem iuuat.

Mathi. lib. 2. c. 134. Sperma auget, capiti nocet, ſemen vermes necat, lienem minuit, cum felle bouis tollit cicatrices liuidas, & cum melle faciei maculas.

ERYSIMVM.

CAP. CCIII.

ERYSIMVM, id eſt, pretioſum & nobile, dicitur, irion & ſynapi ſylueſtre quod irruat acri guſtu; a quibuſdam, rapiſtrum, tortello, eruca aquatica, & Gallice, *roquete iaune*, *ſeneué ſauuage & velar.*

Attrahit valdè & exiccat ob caliditatem ſuam. Habet folia laciniata & vt eruca ſylueſtris flores luteos, guſtum naſturtij, ſemen in corniculis. Amat aquas & foſſas.

Semen eius cum melle linctum prodeſt thoracis fluxionibus purulentis, tuſſi, morbo regio & dol. coxendicum, vt & ad venena, prodeſt etiam occultis carcinomatibus, parotidis, & inflammàtioni teſtium ac mammillarum. Idem ait Galenus, & Plinius, qui addit, etiam mederi ſuſpitioſis, pleuritidi, torminibuſque. Dioſc. lib. 2. c. 144. Galen. Plin.

Ego vero mirè ad vulnera & vlcera, à longa manu, & paternis experientiis innumeris, perutilem eſſe certò ſcio. Mathi. lib. 2. c. 152.

Vide de eo Mathiolum.



EVPHORBIVM.

Cap. CCIV.

Morellus. de mat. medic. EVPHORBIVM, est succus arboris Lybiæ, sic dicitur ab inuentore suo, Regis Iubæ medico. Transflucens, ex rufo pallescens, os diu accendens & granulatum præstat.

Est calidum siccum quarto gradu, purgat pituitam & aquas crassas; datur in hydrope arthritide & colico dol. Est vehemens, corrigitur oleo amygdalarũ dulcium, dosis eius est, à granis tribus, ad duodecim. Datur in pilulis, vel bolo, cum cassia & saccharo.

Mathi: lib. 3. cap. 80. Aluum laxat, cum sudore frigido & lipothymia, nocet iecori & stomacho; purgat neruos & iuncturas, confert paralysi, lethargo, tremoribus, oris spasmo, & conuulsionibus. Sternutare facit, memoriam vnctione occipitis restaurat.

Diosc. lib. 3. cap. 84. Os inflammat, tollit cataractas & squamas ossium breui tempore; resistit etiam ictibus serpentum.

Renod. l. 1. mat med. sect. 8. cap. 6. Vide de eo etiam Renodæum.



EVPHRASIA.

CAP. CCV.

EVPHRASIA, Græce, εὐφρασία, quod oculos delectet & iuuet, vnde etiam Gallice, *lumillete* dicitur.

Eſt parua, flore albo, foliis hyſſopi, & ſerratis, naſcitur in apricis collibus & pratis. Eſt cal. ſicca.

Valet ad ſuffuſiones & caligines, viſum & memoriam cum vino pota, roborat. Vide Mathiolum. Mathi. lib. 4. cap. 38.



FABA.

CAP. CCVI.

FABA, Græce, κύαμος, eſt frigida, & ſicca, quare refrigerat & exiccat.

Eſt coctu difficilis & flatulenta, ſomnia turbida efficit, tuſſi confert, carnes generat, ſiſtit vomitum, vt & dyſenteriam & alios alui fluxus; eius farina admota dolores plagarum mitigat, cicatricum prauum colorem tollit, lac in Dioſc. lib. 2. c. 93. & lib. 2. cap. 98.

grumos soluit,& inflammationes admota tollit, si fronti vero imponatur, fluxiones sistit, cum vino valet ad testium inflammationes, hirudinum hæmorrhagias sistit.

Galen. lib. 6. simpl. Cœliacos fluxus tollit, cocta cum adipe ad podagram valet,ad ictus cum phlegmone, & neruorum contusione, & ad vulnera. Tollit faciei maculas, lentes à sole, &c. cum ptisana.

Mathi. lib. 2. cap. 98. Profunt dysenteriæ & stomacho debili, vt & pulmoni & ad expectorandum: Ad inflammationes genitalium & mammarum;ex iis vtiliter paratur cataplasma. Extra vero exiccant, & lac tollunt si eodem modo admoueantur. Farina earum cutis maculas aufert.



FEL.

Cap. CCVII.

Diosc. FEL animalium valet ad oculorum medicamenta. Acre est. Perdicis fel optimum est ad cataractam & oculorum debilitatem, maculasque, & ad palpebrarum asperitates, in suppositoriis aluos puerorum laxat. Fel tauri ad synanchen

nanchen valet, & cum melle ani vlcera curat aliaque phagedœnica vlcera. vide Mathiolum. ex Galeno autem est calidum.

Mathi. lib. 2. cap. 71. Galen. lib. 10. simpl.



FERRVM, CHALYBS.

CAP. *CCVIII.*

FERRVM purius, Chalybs, à Chalybum regione dicitur. easdem habent virtutes, sed Chalybs præstat; aquæ ferratæ corroborant, arte Chalybeatæ, id est, Chalybe ignito extincto, adstringunt.

Ferri rubigine curantur vlcera quia exiccat & adstringit; ex ferro fit crocus martis dictus, ad morbos virginum vtilis, vt & limatura chalybis, nempe ad obstructiones, fœdos colores, appetitus deprauatos, menstrua retenta, &c. in ptisana vel tabellis sumpta.

dysuriæ, dentiumque dolori, si iis imponatur.

Est calidum secundo gradu completo. Mathi. lib. 3. cap. 81.



FICVS.

Cap. CCX.

FICVS, Græce συκῆ. Est cal. sic. primo gradu.

Aluum laxant, virides stomacho nocent, sitim sedant, vesicæ & renibus vtiles sunt. Sudores prouocant, asthmati prosunt, vt & hydropi, ac epilepsiæ, si cum hyssopo coquantur, thoracem expurgant, conferunt tussi veteri & pulmonum morbis, tonsillisque inflammatis, ventrem emolliunt, cum ruta ad tormina adhibentur, parotidas & furunculos & panos emolliunt si prius contundantur, lac eius curat verrucas & dolores dentium. Diosc. lib. 1. c. 142.

Cum hordei farina tumores duros emolliunt, abstergunt, obstructionibus & schirris prosunt, sed nocent inflammationibus iecoris & lienis. Ad tumores genarum, intus admouentur, sed prius inuerti debent & calefieri, sic Galen.

enim abſceſſus oris cito rumpunt ſi renouentur.

Mathi. lib. 1. c. 145. Arenas expellunt, citò digeruntur, pinguefaciunt, morbis lienis iecoriſque conferunt, tumores curant, & reſoluunt, lac ex eis deſumptũ manuũ verrucas tollit, mirè aſthmati conferunt.



FILIPENDVLA.

Cap. CCXI.

FILIPENDVLA ſic dicitur quod radix eius nodoſa, à filis pendere videatur, œnanthe, Græcé dicitur quod cum vite floreat, Gallicé, *percepierre rouge.* dicitur & leucanthon, à flore albo; habet folia paſtinacæ ſylueſtris & ſemen atriplicis amat prata, eſt amara & calida ſicca, tertio gradũ.

Dioſc. Valet ad ſecundinas eiiciendas & ad ſtrangurias.

Paulus Morbo regio etiam prodeſt.

Plin. Ad partum facilem & tuſſim cum melle confert. ad calculum & aſthma, vt & ad ſuſpiria & epilepſiam.

Mathi. lib. 3. c. 118. Vtilis eſt renum dolori, vrinæ diffi-

culcati ac calculo; asthmati, ventis stomachi, & epilepsiæ; si pulvis eius radicis inspergatur, tandemque omnibus morbis à causa frigida.



FILIX.

CAP. CCXII.

FILIX, Græcè, πτέρις, ob formam alarum, Gallicè, *fougere.* est vel mas quæ recta est, vel fœmina, quæ ramosa. amara est & adstringens, calefacit & exiccat..

Eius radix, ad drachmas. 4. epota, vermes ejicit, si cum aqua mulsa deglutiatur, lienosis prodest, mulieres steriles reddit, abortum inducit, eius radicis puluere vlcera curantur, folia eius recentia & tenera comesa, aluum laxant. Diosc. lib. 4. c. 163.

Maris filicis radix ad drachmas 4. vermes latos necat, & puerũ in ventre mortuum expellit. Galen. lib. 8. simpl.

Eius folia fugant cimices & serpentes; puluis radicis vlcera maligna curat, abortum dat, rheumati confert, sterilitatem inducit. Mathi. lib. 4. c. 178. & 179.



FOENICVLVM.

CAP. CCXIII.

FOENICVLVM sic dicitur, quod folia vt fœnum habeat, Græcè, marathrum à marcessendo, Gallicè, *fenouil*. satis omnibus notum est. Calidũ est tertio ordine, siccat autem primo.

Diosc. lib. 3. cap. 71. Comestum, lac auget, tam semen, quam herba; renum & vesicæ vitiis confert esum & applicatum; contra ictus serpentum datur; radix menstrua mouet, ad morsus canum valet: in collyriis optimum est, & ad visum acuendum, Fuchsius. præcipue gummi eius, quod ejicit, si caulem eius igni admoueas.

Galen. Suffusioni confert, vrinas cit. Ventos dissipat semen eius masticatum.

Plin. Ad ictus scorpionum vsurpatur, succus eius instillatus, aurium vermes necat, & nauseam sedat, radix vero hydropicis prodest.

FOENICVLVM MARINVM.

FOENICVLVM marinum, dicitur etiam crithmum & bacillum.

Prodeſt vrinæ difficultati & ictero, menſtrua prouocat. Aceto conditur. Deſiccat & abſtergit. Dioſc. l. 2. c. 122. Galen. l. 6. de ſimpl.

Vrinas & menſtrua ciet, aluum ſiccat, ictero confert, lac auget. Mathi. lib. 3. c. 68.



FOENV-GRÆCVM.

CAP. CCXIV.

FOENV-GRÆCVM, Græcè, telis, buceros & ægoceros, à forma ſiliquarum dicitur. Eſt calidum ſecundo & ſiccum primo gradu.

Farina eius emollit dura, inflammationes internas & externas tollit, minuit lienem cum aceto illita, in peſſo cum adipe anſeris emollit ac relaxat vterum, viride exulceratis partibus confert, vt & teneſmo & dyſenteriæ. Dioſc. lib. 2. c. 90.

Inflammationes duras digerit & curat. Galen.

Ad ægrum partum valet, cum ſulfure lepras & lentigines curat. Plin.

Eſt ſimilis trifolio, foliis ſerratis, flore albo, ſiliquis cornutis, farina eius lentes faciei tollit cum aceto, & confert diſlocationibus ac podagræ; decoctum eius Mathi. lib. 2. cap. 95.

fronti admotum oculorum fluxiones auertit.



FRAGARIA.

CAP. CCXV.

FRAGARIA, sic à fragranti odore dicitur, Gallicè, *Fraises*, de eius temperamento ambigitur, quia confunditur cum rubo idæo, variæ ab illius temperaturæ. attamen refrigerant primo
Mathi. gradu & desiccant 2.

Medentur lienosis, sitim sedant, bili-
Fuchsius c, 327. osis prosunt stomachis, succus earum vetus optimum est ad vlcera faciei remedium, decoctum radicum illius, oculorum suffusiones & epiphoras, iecorisque feruores mitigat; vlcera etiam glutinat, menstrua cohibet, gingiuas firmat, aluum sistit, oris vlcera curat & fœtorem eius tollit.

Vulnera & vlcera curat, menstrua
Mathi, lib.4.c, 38. sistit, vrinas pellit, & dentes corroboras os colluendo.



FRAXINVS.

CAP. CCXVI.

FRAXINVS est arbor, Gallicè *fresne* dicta. Succus foliorum fraxini, valent aduersus viperarum morsus, cinis vero eius, lepras curat. Diosc. l. 4. c. 80.

Omnibus venenis & ictibus animalium prodest, imò pesti; aqua florum eius, per nasum attrahitur, ad morbos capitis à frigore prouenientes. Mathi. lib. 1. cap. 92.



FVMARIA.

CAP. CCXVII.

FVMARIA vel fumus terræ, Græcè, capnos, Gallicè, *fumeterre*. Hæc omnia nomina obtinuit, quod succus eius, instar fumi, oculis noceat; dicitur etiam corydalium & Gallicè, *pied de geline*. Eius flores & folia auiculas referunt.

Est herba coriandro similis, flore purpureo, inter segetes & vineas nascitur, Mathi.

est calida sicca secundo gradu.

Diosc. lib. 4. cap. 94. Galen. lib. 7. simpl. Mathi. lib. 4. c. 105.

Visum acuit & clarificat.

Vrinam prouocat, iecoris obstructiones, ac debilitates sanat, stomachum roborat, ventrem soluit.

Visui turbido prodest, laxat aluum & valet ad dolorem colicum.



FVNGI.

Cap. CCXVIII.

FVNGI vel boleti, Græcè, *μύκητες.* Gallicè, *champignons, & mousserons,* dicuntur.

Diosc. lib. 4. cap. 71.

Quidam sunt nocui, quod nati sint iuxta ferrum, vel linteum; remedium est, nitrum bibere, vel lixiuium, vel satureiæ aut origani decoctum. Difficilè digeruntur. Praui vel suffocant vel choleram morbum inducunt.

Noxii, vel fœtent, vel colorem tactu mutant; boni è contra odorati sunt.

Mathi. lib. 4. cap. 78. Sennertus.

Sunt frigid. & humid. decoctum hyssopi aduersus eos prodest. Vide plura apud Sennertum, de venenis.

GAGATES.

CAP. CCXIX.

GAGATES, est species bitumi-nis, Gallicè, *iayet & géet.* Reperi-tur in Germania & Fuxensi Prouincia apud Gallos. Sed nomen accepit à Gaga Ciliciæ fluuio, vbi etiam reperitur. Emollit & resoluit, fumus eius epilepsiam detegit, confert suffocationi vteri, fugat serpentes, & miscetur remediis podagricis.

Diosc. l. 5. c. 109.

Oleum eius ex Mesuë, curat demoniacos, epilepticos, paralit. conuulsiones, vteri suffocationes & sterilitatem mulierum. Valet ad inflationes antiquas genuum.

Mathi. l. 5. c. 103. Mesuë.

Vide de eo plura apud Galenum.

Galen. lib. 9. simpl.



GALANGA.

CAP. CCXX.

EST species acori, nam ei valdè assimilatur. Calefacit & desiccat ter-

Mathi. lib. 1. cap. 2.

tio gradu, radix eius, ventos & frigus à ſtomacho arcet, cordis palpitationi confert, & colico dolori à ventis orto, ſi cum plantaginis ſucco bibatur, renes & cerebrum calefacit.



GALLIVM.

CAP. CCXXI.

GALLIVM ſic dicitur quod lac coaguletur, Gallice, *petit muguet iaune*, habet folia apatinæ, florem luteum, tenuem, mel redolentem, in pratis naſcitur, eſt ſicci temperamenti, dicitur etiam aſpergula minor, ob figuram aſpergilli quam habet.

Dioſc. lib. 4. cap. 71. Flos eius, ambuſtis illinitur & ſanguinem cohibet, cum roſaceo oleo, laſſitudines recreat, radix venerem ſtimulat.

Mathi. lib. 4. cap. 92. Flos eius confert hæmorrhagiæ & ambuſtis, atque deſiccat.



GENISTA.

Cap. CCXXII.

GENISTA sic dicitur, quod vt genu sit flexibilis, differt a sparto quod hoc longas habeat virgas sine foliis. Gallicè dicitur, *geneſt.* Amat loca arida, eſt amara & ideo calida ſicca.

Semen eius ad drachmam vnam & ſemiſ. cum aqua mulſa deglutitum, purgat; ſuccus foliorum vnctus vel hauſtus iſchiadicis prodeſt. Tuſa cum axungiâ ad dolores genuum valet; ſemen ad ſtranguriam propinatur. Strumas & alios dolores diſcutit, vrinas cit, & calculos frangit. Plin.

SPARTIVM.

SPARTIVM ſpecies eſt geniſtæ à Sparta nomen deſumens vbi abundat, eſt calid. & ſic.

Eius flores ad quinque obolos deglutiti, per ſuperna purgant vt ellebo-rus, abſque periculo, ſemen vero per inferna, aqua in qua eius virgæ maceratæ ſunt prodeſt, epota, anginæ & iſchiad. dolori. Dioſc. lib. 4. c. 137.

Galen. lib. 8. simpl. Mathi. lib. 4. c. 152.


Spartium facultatem habet trahendi. Nocet cordi & stomacho, incidit & subtiliat, semen phlegma euacuat violenter & iuncturarum humores allicit, renes mundat, vrinas optimè mouet & calculos impedit, flores triti, curant scrophulas, & si edantur, dolores ischiadicos, calculoque conferunt si à drachmis duabus vsque ad quinque præscribantur.



GENISTELLA.

CAP. CCXXIII.

GENISTELLA planta est pratensis genistæ non absimilis, quæ profluuia menstruorum sistit; arenosa loca etiam amat, serpentibus aduersatur, semen eius alui fluxus sistit, vires habet hippuris.



GENTIANA.

CAP. CCXXIV.

GENTIANA sic dicta est à Gentio Illyriæ Rege. Folia habet plan-

taginis sed maiora, cum neruis multis, flore luteo, radice longa, amaraque, caule bicubitali; est calida sicca tertio gradu. Cruciata, est eius species, dicta quod eius radix perforata sit vt crux.

Venenatorum animalium morsibus succurrit, si ad drachmas duas succus eius cum vino bibatur, ad drachmam vnam dolori laterum, ruptis & conuulsis prodest, cum aqua verò hepaticis & stomachicis vtilis est. Radix subdita fœtus ejicit, vulneraria est. Illinitur oculis inflammatis. Diosc. l.3.c.3.

Abstergit, deobstruit, purgat, Attenuat, euacuat, aperit, mundat, vrinas prouocat ac menstrua, & est antidotũ. aduersus scorpiones, aqua eius febres curat ab obstructionibus ortas, vt sæpe expertus sum, vermes necat, & omnes faciei maculas tollit. Gal.l.6 simpl. Mathi. l.3.c.3.



GERANIVM.

CAP. *CCXXV.*

GERANIVM sic dicitur quasi rostrum gruis, à figura siliquæ suæ, dicitur & ideo rostrum ciconiæ, acus

pastoris, Gallicè, *bec de gruë*, eius sunt multæ species, inter quas sunt, pes columbinus, geranium vel herba Roberti, à Diuo Roberto dictum, huius folia sunt vt ea artemisiæ tenuifoliæ, geranium moscatum, aliud folio ranunculi dictum, *grace Dieu*, gratia Dei, maluaticum, & aliud maius sanguinem sistens, &c.

Amat loca inculta, adstringit & exiccat.

Diosc. lib. 3. c. 118. Radix cum vino ad drachmam vnam pota, vteri inflationes tollit, præcipuè ex Paulo, illud geranium quod anemonem refert. Paulus Ægin.

Plin. Ad phthisim bibitur. Eius folia vulnera glutinant, & leniunt dolores articulorum, valent etiam ad vlcera oris & mammillarum, ac pudendorum.

Mathi. lib. 3. c. 134. Confert phthisi & ventis, vulnera interna & fistulas curat.



GLASTVM, ISATIS.

CAP. CCXXVI.

GLASTVM, dicitur etiam guadum, isatis, vel osatis, & Gallice, *guesde*,

guesde, pastel, quia ex ea fit quædam pasta infectoria. Dicitur etiam, Indicum, & Arabicè, nil vel nilech. Est syluestre & domesticum, caulem bicubitalem habet & folia plantaginis sed pinguiora, nigrioraque, & florem luteum, syluestre vero folia lactucæ habet. exiccat.

Oedemata & tubercula omnia illitum discutit, cruenta vulnera glutinat, sanguinis profluuia sistit, erysipelata, & herpetes sanat, lienosis potũ auxiliatur. Diosc. lib. 2. c. 169.

Dictum est guadum a Guado pago Anconitano, vbi copiosè fit. Resistit putredini humidæ quia exiccat; eius maximus est vsus ad tincturam. Mathi. lib. 2. c. 180.



GLVTEN.

Cap. CCXXVII.

GLVTEN ex animalibus paratum vt ex coriis bubulis, &c. Valet ad lepras & impetigines, si in aceto dissolutum sit & cutis eo sæpe lauetur. Est & vulneribus vtile cum melle & aceto solutum. Diosc. l. 3. c. 89. 90.

Ambusta non sinit pustulas contrahere.

Fit etiam gluten è piſcibus, quod ichthyocollam vocant, quod vtile ſit ad emplaſtra capitis & ad lepras, ac faciem leuigandam.



GLYCYRRHIZA.

CAP. *CCXXVIII.*

GLYCYRRHIZA, Græce radicem dulcem ſignificat, dicitur Theo- etiam à Theophraſto, radix Scythica phraſt. & adipſos, quod ſitim reſtinguat & in lib. 9. Scythia reperiatur. Eſt frutex folio lencap.13. tiſci, flore hyacinthi cum ſiliquis. Seritur in hortis. Succus eius valet ad exaſperationes tracheæ arteriæ, ad ardorem ſtomachi, iecinoris & thoracis vitia, ſi ſub lingua ſuccus eius concretus teneatur, renum & veſicæ vitia emendat, ſitim reſtinguit, vulneribus prodeſt.

Theophraſt. lib. 9. cap. 13. — Dioſc. l.3.c.5.

Modice adſtringit. Eius radicis puluis pterygiis vtiliter inſpergitur.

Galen. lib. 6. ſimpl.

Vtilis eſt ad ſuſpiria & tuſſim, ad vitia faucium, hydropemque valet, ſanguinem ſiſtit & calculos pellit.

Theophraſt. Plin.

Eſt illa percelebris Theophraſti ra-

Mathi. l.3.c.5.

dix Scythica, sitim per decem aut duodecim dies tollens, absque vllo cibo. Abstergit, mundat, vrinas acres mitigat. Succus eius inspissatus, ad pulmonem & asthma ac pleuritidem aptus est.



GNAPHALIVM.

CAP. CCXXIX.

GNAPHALIVM, sic ex Galeno dicitur a candidis, mollibusque foliis, dicitur etiam, centumculum & centumcularis, quod centonibus & tomentis sit similis. Gallice, *l'herbe velue.* Galen.

Duplex est, quorum vnum est candidius & habet folia latiora, flores luteos, & rad. tenuem. Amat loca sicca: adstringit & exiccat.

Cum vino valet ad dysenteriam. Idem ajunt Galenus & Plinius & præterea, quod menstrua & aluum sistit; in tenesmo vtile est & vlceribus putrescentibus. Diosc. lib. 3. c. 119. Galen. Plin.

Dysenteriæ cum vino prodest. Calefacit & sanguinem vulnerum sistit, tollit lentigines, asthmati confert. Mathi. lib. 3. c. 115.



GRAMEN.

Cap. CCXXX.

GRAMEN, ſic dicitur à gradiendo, quod mirè ſerpat, Græcè, agroſtis, Gallicè, *chien-dent*, ob geniculorum figuram.


Radix eius eſt mediocriter frigida & ſicca.

Dioſc. lib. 4. cap. 26. Radix illius trita, & illita, vulnera coagulat; decocta & pota, vrinas ciet & ventris tormina tollit, calculoſque minuit.

Galen. lib. 6. ſimpl. Fluxus alui reſiccat & vlcera glutinat ſi iis admoueatur.

Plin. Vomitus ſiſtit valetque ad dentium dolorem. In ptiſanis ponitur ad vermes necandos & ad obſtructiones aperiendas prodeſt.

Mathi. lib. 4. cap. 28. Calculum rumpit, ſi decoctum eius radicis in potu capiatur.



GRATIOLA.

CAP. CCXXXI.

HÆC planta humida colit, caulem quadratum habet, folia hyssopi, florem purpureum; est amara, choleram euacuat & phlegma, vulnera solidat. Cum rore-solis, vt plurimum, in pratis montanis reperitur. Mathi. lib. 3. c. 26.




GVAIACVM.

CAP. CCXXXII.

GVAIACVM seu lignum Indi- & sanctum, idem sunt.

Ex eo fit vinum ad diætas pro lue venerea & ad antiquos iuncturarum morbos, capitis, & neruorum, ad podagram & morbos à phlegmate ortum ducentes. Fit etiam ptisana ex eo ad omnes morbos venereos vtilis. Mathi. lib. 1. c. 111.



GYPSUM.

CAP. CCXXXIII.

Diosc. lib. 5. cap. 98. Sénert de ven. Galen. lib 9. Mathi. lib. 5. cap. 92.

GYPSUM, Gallicè, *plastre & gyp.* Adstringit, fluxum sanguinis reprimit & sudores, sed epotum necat. De eius veneno vide Sennertum libro de venenis. Et Galenum. libro. 9. simpl.

Sang. sistit, cum aqua albuminis oui optimum est ad oculorum morbos, repellit cum aceto & desiccat.



HEDERA.

CAP. CCXXXIV.

HEDERA dicta est, quod arboribus aliisque rebus hæreat, dicitur & cissus à græco nomine, dionysia & bachica quod ea Bacchus coronetur, quia creditur aquã à vino separari posse ope poculi ex eius ligno confecti, Gallicè, *Lierre.* tres sunt eius species, candida & nigra ob fructus colorem & helix vel hederula. est parumper adstringens & calida ac acris.

Flores eius in vino poti dysenteriam curant. ambustis & lieni eius folia prosunt, vt & ad veteres capitis dolores, si cum aceto & oleo rosaceo inunguntur. cum oleo oliuarum ad aures purulentas valet; succus nigræ mentem turbat, succus corymborum in aurem contrariam instillatus, dolores dentium tollit. iidem capillos denigrant, subditi, menstrua mouent & fœtus educunt. poti ad drachmam vnam mulieres steriles reddunt, succus naribus haustus putredinem earum purgat, lachryma eius necat pediculos & depilat. Diosc. lib. 2. c. 164.

In vino cocta, vlcera glutinat, idem ambusta facit, vlceraque aurium & narium sanat. Galen.

Amatur à serpentibus ob frigus foliorum, succus eius spléniticos curat, cum aceto trita & fronti admota dol. capitis tollit, attrahit è capite (foliorum admotione) crassitiem cerebri puerorum, & cauteriorum. Lachryma eius tactu pediculos necat. Mathi. lib. 2. c. 175.

De gummi hederæ vide Renodæum. Renod. l. 1. mat med. sect. 7. cap. 13.



HEDERA TERRESTRIS.

Cap. CCXXXV.

HEDERA terrestris, seu corona terræ, dicitur Græcè chamæcissus; habet folia hederæ, florem leucoij, & repit. Amat loca obscura. Est calida sicca.

Diosc. Pota ischiadicis prodest; icterum etiam emendat. Galen. Flos eius ad iecoris obstructiones valet & ischiadico dolori adhibetur. Plin. Idem ait Plinius. Ad pestem etiam optima est.

Mathi. lib. 4. c. 121. Abstergit, attenuat & aperit, curat vulnera interna & in vlcera caua inijcitur.



HEPATICA.

Cap. CCXXXVI.

HEPATICA est planta crassa, quæ parietibus vdis circa fontes, &c. innascitur, à figura sua sic dicta, vt & lichen quod ad lichenas prosit, estque

quasi musci species. Sunt aliæ plantæ hepaticæ dictæ quod hepati conferant. Vt & herba vel trifolium trinitatis. Hæc vero de qua nunc agitur est frigida sicca & abstergens ac exiccans.

Sanguinem vndecumque manet, sistit, inflammationes tollit, ictero sola inunctione prodest, oris & linguæ defluxiones arcet. Diosc. lib. 4. cap. 43.

Impetigines delet, stigmataque. Galen. lib. 7. simpl.

Phthisi confert, lichenes curat & herpetes, est abstersiua, inflammationes sanat & sanguinis fluxum cohibet. Mathi. lib. 4. cap. 48.



HIERACIVM.

CAP. CCXXXVII.

HIERACIVM sic dictum est quod eo accipitres ad visum vtantur. Dicitur etiam, sonchites, & lactuca syluatica. Gallicè, *pissenlit*, *grande cichorée iaune*. Est maius & minus, in pratis prouenit. Refrigerat & modicè, vt sonchus, adstringit.

Illitum stomacho prodest æstuanti & inflammationibus, vt & ad ictus scorpionum & erosionem stomachi. Diosc. lib. 3. cap. 62. & 63.

Plin. Omnia oculorum vitia cum lacte sanat,& cum posca aluum purgat.

Mathi. lib. 3. cap.63. Crateuas. Succus eius, cum lacte, oculorum omnes morbos curat, ictus scorpionum, &c. Hydropi ex Crateua confert, dysuriam tollit, erysipelata etiam cum aphronitro aufert.




HIPPOSELINVM.

CAP. CCXXXVIII.

HIPPOSELINVM sic dicitur ob magnitudinem,& olus atrum à colore. Gallicè *ache large*. Est maius hortensi, amat loca vmbrosa & paludes, calidum est secundo gradu & siccum tertio.

Diosc. lib 3. c. 68. Radix eius cruda editur, hæc vel eius semen cum mulsa potum, menstrua ducit, rigore concussos calefacit, tam potum quam illitum, stranguriæ prodest.

Plin. Scorpionibus & canibus rabidis nocet. Calculos cum vino potum pellit, vt & veteres lateris & lumborum dolores.



HORDEUM.

CAP. CCXXXIX.

HORDEUM, Græce, κριθὴ, Gallicè, *orge*, dicitur. Eius mirus erat vsus & quasi vniuersalis apud antiquos, eiusque pane ac cereuisiâ valdè vtebantur Hebræi. Exiccat & refrigerat.

Ptisana eius vel polenta optima est, ad acrimonias faucium vlceraque, abstergit, vrinas ciet, lac auget, nocet stomacho & inflat, farina eius cum aqua cocta, œdemata & inflammationes curat, cum aceto podagræ prodest. Diosc. lib. 2. cap. 75.

Ad eadem à Galeno commendatur. Sic autem debet parari, coquatur in olla noua, cum aqua communi, ad putrilaginem, sed prius, ingrata quædam eius acrimonia ebullitione tollenda est & aqua hæc projicienda, additâ secundâ, sicque rursus coquatur vt dictum, & colaturâ factâ, cum saccharo bibatur, manè & serò. Tale decoctum vtile est ad somnum prouocandum, ad pulmonicos, sitim & iecoris dolorem. Galen.

Vide etiam Mathiolum. Mathi. lib. 2. cap. 79.




HORMINVM.

CAP. CCXL.

Diosc. HORMINVM, Gallicè, *toute bonne*, *& orvale*, habet folia marrubij, caulemque quadratum, est maius, medium & minimum. Semen eius excitat ad venerem, cum melle tollit oculorum maculas, cum aqua resoluit tumores & à corpore spinas, &c. Elicit.

Mathi. lib. 13. c. 128. Magnum horminum seu odoratum cum melle admotum apostemata & furunculos curat & resoluit.

Mira facit, si folia magni, ad hæmorrhoides nimis fluentes sistendas, ventri admoueantur.



HYACINTHVS HERBA, ET LAPIS.

CAP. CCXLI.

HYACINTHVS, à quibusdam, viola purpurea dicitur. Gallicè, *iacinthe & vaciet*. Est vel cæruleus, vel

albus aut niueus, radicem habet bulbosam, nemora & vineas amat. Refrigerat secundo gradu, desiccat primo. Mathi.

Radix illita impuberes sic conseruat, aluum sistit, pota vrinas ducit, & medetur phalangiorum morsibus, ictérum sanat, semen potum prodest cœliacis & adstringit. Et idem ait Galenus. Diosc. lib. 4. cap. 53. Galen. lib. 8. simpl.

Aduersus serpentes & scorpiones commendatur. Plin.

Pilos impedit ne nascantur, ictero confert, abstergit & adstringit. Mathi. lib. 4. c. 58.

HYACINTHVS LAPIS.

HYACINTHVS cor recreat, somnum prouocat, pesti resistit, & pueros ab epilepsia præseruat. Renodæus l. 2. mat. med. sect. 2. cap. 6.

Est basis confectionis dictæ de hyacintho, quæ optimum est cardiacum.



HYOSCYAMVS.

CAP. CCXLII.

HYOSCYAMVS, id est, faba suilla, est planta sic dicta, quod sues necet, ni se statim aquâ proluant, aliter dicitur, altercum, Apollinaris, ab in-

uentore Apolline, Gallice, *Iusquiame & hannebane.*

Est flore purpureo, & luteo, semine nigro vel flauo, tertia eius species est, flore ac semine albis.

Diosc. lib.4. cap.59. Inter rudera nascitur. Candidus est frigidus tertio gradu, & reliqui sunt venenati. Succus albi, dolores tollit oculorum, &c. Valet ad calidas inflammationes, & fluxiones, pedum ac aurium dolores, &c. Omnes enim lenit, idem facit semen, sanguinem & menstrua sistit, ad febres epialas, etiam propinatur.

Galen. Hyoscyamus semine atro, soporem & insaniam inducit.

Mathi: lib. 4. cap.64. Semen eius multos pueros, vt vidi, insanos fecit.

Dentium dolores seminis eius fumo per infundibulum dentes tangens excepto, tolluntur.



HYPERICVM.

Cap. *CCXLIII.*

HYPERICVM, dicitur etiam, perforata, ob foraminula innumera foliorum eius. Aliter dæmonifuga, à

quibusdam androsæmum & ascyrum, sed hæc sunt specierum eius nomina. Gallice, *mille pertuis & trucheràn.* Habet folia rutæ, florem luteum, loca aspera amat, calefacit & exiccat.

Appositum, vrinas & menstrua ciet, cum vino potum tertianas tollit, & quartanas; si vero per quadraginta dies semen tritum hauriatur, ischiadicos curat dolores; eius folia ad ambusta apta sunt. Diosc. lib. 3. c. 154.

Vlcera putrida sanat. Galen.

Aluum sistit, &ad calculũ propinatur. Plin.

Eius aqua valet ad epilepsiam & paralysin, semen ad hæmoptoin, flores & semen vulnera mire curant, quare ex iis fit balsamum cum terebinthina; vermes necat & dæmones fugat, menstrua & vrinas mouet, siccum hypericum, vulnera ad cicatricem ducit. Ischiadicis prodest. Idem facit androsæmum. Cuius capitulum vide. Mathi. lib. 3. c. 146.



HYSSOPVS.

Cap. CCXXXXIV.

HYSSOPVS est vel Hortensis vel syluestris. calid. sic. tertio gradu.

Diosc. lib. 3. cap. 27. Extenuat & calefacit, si cum melle & ficubus coquatur, peripneumoniam tollit, asthma, tussim veterem, distillationem & orthopnœam; necat lumbricos, illinitur ad lienem minuendum, ad inflammationes, anginam, dentium dolorem, aurium inflammationem & sugillationes, aluum etiam ducit. vide Galenum.

Galen. lib. 8. simpl. Mathi. lib. 3. cap. 26. Incidit attenuat, aperit, abstergit, si teratur, morsibus anguium confert, pediculos necat, epilepsiæ valdè prodest phlegma leniter euacuat, pectus mundat, cerebrum & neruos roborat, ventos arcet, appetitum, vrinas & menstrua prouocat, rigores febrium & tremores tollit & oleum eius neruos refrigeratos curat.



IACOBEA, VEL SANCTI IACOBI H*ERBA.*

CAP. CCXXXXV.

IACOBEA, vel herba Sancti Iacobi sunt eædem.

Fuchsius. Est planta fruticosa caule rubente, striato, foliis paruis vt eruca confectis, flore

flore luteo ad chamæmelum accedente. Naſcitur in ripis & locis arenoſis. Adſtringit. Vulnera ac fiſtulas curat.



IALAP ET MECHOACAM.

Cap. CCXLVI.

MECHOACAM eſt radix Bryoniæ peregrinæ ex inſula nouæ Hiſpaniæ eiuſdem nominis allata, jalap vero eſt mechoacæ radicis ſpecies nigra à Gelapia regione veniens. Hæc in taleolas diſſecta eſt, & gummoſa, ad ignem flammam concipit, inſipida eſt. Quod ad temperiem eſt calida primo gradu & ſicca ſecundo. Tuſſi veteri, colico dolori, lui venereæque confert, vt & hydropi, aquas enim & pituitam purgat. Cinnamomo corrigitur. Datur à drachma dimidia ad drachmas duas. Puluis eius cum liquore quodam hauritur, vtpote vino, ſine coctione, ne vis eius pereat, ſed ſola infuſione.

Morellus. de materia medica.



IASPIS.

Cap. CCXLVII.

Diosc. lib. 5. c. 123. Mathi. lib. 5. c. 117. Galen. lib. 9. simpl.

IASPIS lapis, fœmori alligatus partum iuuat.

Sanguinem sistit admotus, fœtum retinet, luxuriam cohibet, febrem & hydropem pellit. Vide Galenum.

IRIS.

Cap. CCXLVIII.

Fuchsius

IRIS, seu gladiolus dicitur quod folia gladij figuram habeant, vnde ei nomen fere omnibus linguis datum. Gallice *glayeul ou flambe*, iris vero dicta quod colore floris, arcum cœlestem referat. Calefacit secundo gradu, desiccat tertio, abstergit & maturat.

Diosc. l. 1. c. 1. & l. 4. c. 18. 19. 20.

Extenuat, ad tussim valet, bilem purgat, ad drachmas septem cum hydromelite hausta, somnum conciliat, tormina tollit, cum aceto vero lienosis, conuulsis, refrigeratis & venenatis morsibus con-

fert, menstrua cum vino ducit, ischiadico dolori medetur, fœtus educit in pessario, fistulas carne implet, strumas emollit, vlcera arida cum melle curat, nudata ossa carne tegit, & tandem cum oleo rosaceo admota dolorem capitis tollit.

Radix eius mansa gratam facit respirationem, dentium dolorem mitigat suo decocto gargarizato, digestionem iuuat abstergit, deobstruit & infra phlegma ac bilem purgat, *hæmorrhoides* extra fotu suo pellit, hydropicis vtilis est, in ptisana infusa per taleolas dissecta, tineas à vestibus fugat. Mathi. lib. 1. cap. 1.

Eius radix attrahit, resoluit & siccat. de gladiolo fœtido, vide spatulam fœtidam. Galen. lib. 8. simpl. & Mathi. lib 4. cap. 20. & 22.



LAPIS IVDAICVS.

CAP. CCXLIX.

LAPIS Iudaicus est lapis instar oliuæ cum cauda sua, ac si lapidefacta esset, sic dicta, quod in Iudæa reperiatur. Vrinas pellit & potus pulueratus calculum rumpit. Vide Mathiolum. Diosc. l. 5. c. 112. Mathi. lib. 5. c. 112.



IVNIPERVS. SANDARACHA. VERNIX.

CAP. CCL.

Fuchsius. IVNIPERVS, Græcè ἀρκευθος, quod odore reptilia fuget. Gallice, *geneure.* Eſt planta horrida, folia tenuia, longa & aculeata habens; ſemen ei tardè maturum, tandem nigrum & odoratum, piperi ſimile, emittit gummi cui thuris odor ineſt, diciturque vernix & ſandaracha, quod ex Mathiolo ſiſtit ſanguinem, prodeſt hæmorrhoidibus, fiſtulis, ambuſtis, vermibus & rhagadibus. Hæc planta montes & maritima amat, Eſt calida ſicca tertio gradu.

Mathi. lib. I. c. 67.

Dioſc. lib. I. cap. 82. Iuniperus vrinam mouet, ſerpentes odore fugat, fructus eius eſt ſtomacho vtilis, & potus ad thoracis vitia, tuſſes, inflammationes, tormina & venenata valet, conuulſis item, ruptis & vteri ſuffocationi confert, bibitur etiam aduerſus viperarum morſus, cortex eius vſtus & cum aqua illitus, lepras tollit.

Galen. Fructus eiuſdem renes & iecur expurgat vrinamque ciet mediocriter.

Dolori pectoris, lateris & ſtomachi vtilis eſt, tuſſes coquit, tumores iliorum & ventris ſiſtit. Plin.

Ego vero mirè ad peſtem prodeſſe ſcio, tum ad eam ſuffumigiis ſuis pellendam, tum ſi grana eius, deglutiantur. Vel ex decocto eorum cum vino fiat extractum, quo parua doſi manè vtendum.

Decoctum eius granorum curat dol. dentium, ſcabiem & hydropicos, multos enim ſic curatos fuiſſe vidi. Docet etiam quo pacto ex junipero parari debeat balneum curans optimè podagram, & partum facilem reddens. Mathi. lib. 1. cap. 87.

IVNCVS VVLGARIS ET ODORATVS.

CAP. CCLI.

EX Arabia fertur juncus odoratus dictus, melior eſt ruffus, tenuis & floridus, eius fragmenta rubeſcunt & fricata roſam redolent, acris eſt, vrinam ciet, menſtruaque, ventos pellit, rumpit, maturat, venas aperit, hæmoptoi confert, vt & pulmonis, renum, iecoris ſtomachique doloribus; antidotis miſce- Dioſc. lib. 1. cap. 16.

tur, appetitum reuocat, hydropi & conuulſioni vtilis eſt vt & inflammationi matricis, eius decocto ſuperſedendo.

Mathi. l. 1. c. 16. Flos eius dictus ſchœnantos, magis calefacit, radix verò magis adſtringit.

Id. l. 4. cap. 47. Dioſc. lib. 4. cap. 42. At iuncus vulgaris exiccat, alui fluxum & menſtrua ſiſtit, eſtque frigidiuſculus.



ILEX. KERMES.

CAP. CCLII.

ILEX varia eſt, quæ vermilionem fert, vocatur kermifera, vel coccifera, coccus baphica, granum infectorium & vermilio, ob vermiculos rubros in veſiculis ſub foliis eius naſcentibus, ex quibus fit confectio alkermes dicta. Arbor autem eſt quercus pumilis, eſt & alia ilex, ſuberifera dicta.

Mathi. lib. 4. c. 43. Dioſc. lib. 1. c. 119. & l. 4. c. 39. Gal. l. 7 ſimpl. Adſtringit, vulnera curat, præcipuè neruorum, amara eſt, exiccat ſine dolore. Reperitur in Hiſpania & apud Monſpelienſes in Gallia, loca arida amat. Vide Galenum & Dioſcoridem.

Suberis decoctum dyſenteriam curat vt dictum in obſeruat. meis.



LAC. CASEVS, BVTYRVM.

CAP. *CCLIII.*

LAC Ventos gignit, coctum & præcipuè Chalybeatum, aluum adstringit, valet ad omnes internas excoriationes; serum verò purgat melancholiam, lepræ & epilepsiæ prodest, ad erosiones valet, ad ambusta vetera, & ad venena cantharidum & aconiti, ad alia omnia venena præstantissimum est. dentes firmat, intestinorum corrosiones & lenit & curat, præcipuè in clysteribus iniectum, idem facit si in vuluam injiciatur; ad tonsillas vtile est. Diosc.

Lac muliebre phthisicis optimum est, in oculos sanguinolentos inijcitur, podagræ admouetur cum papaueris succo & cerato, nocet verò vertigini, febri, dolori capitis & neruorum.

Caseus recens valet ad Contusiones, oculorum inflammationes, vetus verò adstringit, vermes necat & pesti resistit. Butyrum est emolliens, venenis resistit, ad vlcera oris aptum est, ad calculum,

& in clysteribus ad dysenteriam.

Mathi. lib. 2. cap. 66. Cholericis prodest, oculis inflammatis nocet, vt & calculo & obstructionibus.

Gal. l. 6. & 10. simpl. Butyrum ex Galeno est resolutiuum sed mediocriter, curat inflammationem glandularum & oris, iuuat expectorationem pulmonum & pleuritidem, &c.

Tussim curat & raucedinem si fusum cum aqua rosacea & saccharo manè & serò bibatur per triduum.

Caseus antiquus calculum generat, cum aqua salita admotus nodosam podagram curat.



LACTVCA.

Cap. CCLIV.

LACTVCA à lacte quod effundit si laceretur dicitur. Græcè, thridax. Gallicè, *laituë*. Est satiua vel syluestris, inter domesticas, sunt, crispæ, vel rotundæ aut capitatæ dictæ. Syluestris, dicitur, *laicteron*, quæ in aruis & vineis nascitur: sunt frigidæ humidæ tertio gradu.

Diosc. lib. 2. c. 122. Somnum conciliat, aluum mollit, lac

auget, venerem pellit, oculis nocet, ambuſtis cum lacte prodeſt, dolores leuat, menſtrua ducit.

Ad calid. phlegmones & parua eryſipelata valet, ſitim arcet, gonorrheas impedit, æſtus bilis tollit. Galen.

Semen eius potum gonorrheam ſiſtit & ſomnia erotica tollit; ſuccus ſylueſtris oculorum maculas aufert, viſum clarificat, ambuſtis imponitur, bonum alimentum, multumque ſanguinem producunt. Vide Hieracium. Mathi. lib. 2. c. 129. & 130. Galen. lib. 6. ſimp. & l. 2. de alim.



LAGOPVS SEV PES LEPORIS.

CAP. CCLV.

LAGOPVS, id eſt, pes leporis, ſic dicitur ob lanuginem quam habet inſtar villorum pedum leporis; eſt trifolij ſpecies humilis, loto non abſimilis & à nonnullis, trinitas dicitur.

Segetes amat, humores exiccat.

Si cum vino bibatur eius decoctum, aluum ſiſtit, febribus etiam vtilis eſt cum aqua conuenienti, & alligatur contra inguinum inflammationes. Dioſc. lib. 4. cap. 15.

LAPATHVM.

Cap. CCLVI.

LAPATHVM, dicitur ἀπὸ τοῦ λαπάζειν, id est, vacuare, quia aluum emollit, item rumex, quod oxylapathum, eius species, vt mamma sugatur ob aciditatem, vrgente siti, vnde acetosæ nomen habuit. Gallice, *patience, parelle, & ozeille.*

Est frigid. sicc. secundo gradu, estque rhabarbari species.

Diosc. lib. 2. c. 103. Cum rosaceo illitum Melicerides curat, semen eius valet contra dysent. cœliacos affectus, stomachi fastidia & ictus scorpionum; radix eius cum aceto illita, curat impetigines, lepras, vngues scabros pruritusque, lienem minuit, dol. dentium ac aurium cum vino tollit, sola oris collutione: strumas & parotidas discutit, ictero confert, menstruis ciendis perutilis est.

Mathi. lib. 2. c. 108. Galen. lib. 7. simpl. Lapathum modice resoluit ac repellit, semen eius adstringit, ita vt dysenteriam aluique fluxus alios curet, ad morsus canum rabidorum valet, eiusque

aqua cutem faciei mundat; vinum in quo infusum fuerit, ab ictero liberat, frequenti eius vsu.

Radix eius mundata & in aceto infusa & colata, herpetas curat, lotione frequenti. Vide Acetosam.



LAPPA MAIOR.

Cap. CCLVII.

LAPPA maior, aliter dicta, arcion, bardana & personata, quod eius foliis facies tegeretur in theatris, vnde, Græce, prosopis, dicta fuit Gallicè, *glouteron*. Folia habet cucurbitina sed longiora, radicem nigram extra, intus verò albam, subcana folia, florem purpureum, & globulos hirsutos producentem. Circa vias & margines fossarum nascitur.

Radix eius ad drachmas duas cum pineis nucibus pota, hæmoptoi medetur ac puris sputo; trita ac illita articulorum fracturas & collisiones tollit, vetustaque vlcera sanat. Diosc. & Gal.

Si foliis eius cingas febricitantem, febris eius sedatur, succus vero potus Apuleius.

ad serpentum morsus valet, fotus eius vulnera & vlcera curat, & canum rabidorum morsus. Puluis seminis per 40. dies epotus dolorem ischiadicum mirè tollit, folia cum oui albumine trita ambusta curant, cum melle pota vrinas cient & vesicæ dolores tollunt.

Columella. Radix illius cum axungiá, strumas curat, veneno viperæ admota, resistit.

Mathi. lib. 4. c. 102. Galen. lib. 6. simpl. Resoluit, desiccat & modice adstringit. Folia curant vlcera vetera. Vide Galenum.



LAPPA MINOR, SEV XANTHIVM.

CAP. *CCLVIII.*

LAPPA vel Bardana minor, aut inuersa, & phasganium, dicitur etiam xanthium, quod flauos faciat capillos. Habet folia atriplicis, sed maiora fructum instar oliuæ, folia eius nasturtium redolent. Loca pinguia & palustria amat. Discutit, est cal. sic. amara & subacris.

Diosc. lib. 4. c. 120. Fructus eius ebulliti capillos flauos lotione reddunt. Tumoribus etiam ad-

hibentur & cancrorum ardorem extingunt.



LARIX.

CAP. CCLIX.

LARIX, larex & larga, Gallicè, *melaise* est arbor pinum referens vel potius abietem, quæ adstringit.

Cortex eius tritus vlceribus cutis superficiei prodest, & intertriginibus ac ambustis. Potus aluum sistit, & vrinam mouet; folia trita inflammationes leniunt & vulnera ab iis vindicant, trita & cum aceto calidè colluta, dentium dol. tollunt; resina eius emollit, calefacit, discutit & expurgat; tussi & tabi conuenit cum melle, aluum mollit, vrinam cit, aduersus lepram, aurium dolores, ac pruritus & lateris dolorem valet. Diosc.

Cortex eius aluum sistit, ambustis cicatrices inducit. Vide Mathiolum. Galen.

Ab eo Manna decutitur in Delphinatu. Mathi. lib. 1. c. 74.



LASER, LASERPITIVM.

Cap. CCLX.

LASER, aliter laserpitium, silphium ostritumq; dicitur, Gallicè *benioin* & à quibusdam, *angelique*, habet folia apii, caulem ferulæ, folia aurea, corticem nigrum in radice, vnde succus ruber promanat, myrrham redolens. Nascitur in Asia & Africa, præsertim Syria & in Cyrene, vnde succus eius Cyrenaicus dicitur; nostrum verò, in montibus reperitur.

Liquor eius est calidissimus, folia, &c. ab eo venientia sunt etiam calida & exiccant tertio gradu.

Diosc. lib. 3. cap. 82. Inflat, alopecias sanat, oculorum aciem acuit, suffusiones cum melle dissipat, ad dolores dentium admouetur, gangrenis prodest, ictibusque scorpionum, ad clauos & callos valet; lichenas, polypos carnesque excrescentes sanat, vocem raucam tollit, vuulam reprimit, anginæ confert, tussi, neruorumque distentioni, hirudines gulæ hærentes tollit, cœliacos curat, comitialibus & opisthotonis succurrit.

Excreſcentias carneas minuit. Gal. l. 8. ſimp.

Vuluas purgat, fœtus mortuos educit, ad telorum venena valet. Plin.


Eſt ventoſum & calidiſſimum; ſuccus eius præſtat cæteris eius partibus & extra potius quam intra. Mathi. lib. 3. cap. 78.



LATERES.

Cap. CCLXI.

FIT oleum de lateribus, dictum oleum Philoſophorum, cuius Renod. edocet methodum, ad multa perutile & balſamicæ facultatis. Renodæus l. 2. mat. med. cap. 16.



LAVREOLA.

Cap. CCLXII.

LAVREOLA eſt frutex cubitalis, foliis lauri, flore candido, fructu ſubnigro, in montanis naſcitur; eſt calid. ſic. folia eius recentia vel ſicca ad drachmas tres cum ſale & hydromelite manducata aluum ſoluunt, pituitam euacuant, vomitum cient, baccæ eius Dioſc. lib. 4. c. 128.

etiam quinæ imò & denæ ad idem sumuntur.

Mathi. l. 4. c. 143. Vsus eius periculosus est quare vocata fuit, planta viduas faciens.

Galen. lib. 6. simpl. Vires lauri Alexandriæ habet, cuius gemmas nonnulli comedunt. Vide Galenum.



LAVRVS.

CAP. CCLXIII.

Dioscorid. l. 1. c. 85. LAVRI folia admota trita, ictus apum, vesparum ac scorpionum curant, phthisi etiam cum melle conferunt & spiritus difficultatem tollunt, succus baccarum eius aurium dolori & surditati incipienti confert, cortex vero, calculum rumpit & fœtum in ventre matris necat. Hepati prodest.

Mathi. lib. 1. c. 90. Folia eius siccant & calefaciunt. Sunt quidam qui folium eius linguæ imponunt & sic prono capite multas aquas euomunt. Ad ambusta etiam valet vt docui in obseruat. meis.

LAPIS



LAPIS LAZVLI, CYANEVS AVT CÆRVLEVS ET STELLATVS.

CAP. CCLXIV.

LAPIS lazuli dictus, vel stellatus, est gemma cærulea punctis, vel stellulis aureis notata, dicitur etiam cyaneus aut cæruleus lapis. Ex eo elicitur pretiosus ille ad picturam color, *azur* dictus. Est calidus & siccus tertio gradu. Lapidi armeno valdè similis est, sed color armeni pallidior est. Dosis eius est à drachma vna ad duas, capitur in pilulis, potione & bolo. Vires habet Armeni lapidis. Vide Mathiolum & Morellum. Morell. l. mat. medic. Mathi. lib. 5. cap. 66.




LENS. LENTICVLA.

CAP. CCLXV.

LENS, lenticula & phacus idem sunt, suntque ferè temperatæ, attamen desiccant secundo gradu & adstringunt, præcipuè cortices earum.

Dioſc. lib. 2. cap. 95. Difficilis coctionis ſunt, viſum hebetant, ſtomacho nocent, inflant, aluum ſiſtunt, ſomnia inferunt peſſima, neruis, pulmoni & capiti nocent, illitæ podagram leniunt, cum melle ſinus glutinant, vlcera purgant, ſtrumas diſcutiunt; cum meliloto valent ad inflammationes oculorũ, vt & ſedis cum malicorio, & ad mammas lac grumoſum habentes, herpetas, eryſipelata, perniones, fiſtulaſque; Galen. cortex eius vehementer adſtringit, cœliacis & dyſenteriæ confert, nimius eius vſus, cancrum & elephantiaſim gignit, ob humorem melancholicum quem facit, menſtrua ſiſtit.

Mathi. lib. 2. c. 100. Earum decoctum, oris vlcera & pudendi curat. Primum decoctum necat puerorum vermes; non eſt ſanum alimentum, ſed ratione ſanitatis capiendum eſt.



LENTICVLA PALVSTRIS.

Cap. CCLXV.

Dioſc. lib. 4. c. 76. EST plantula aquis ſtagnantibus innatans, cuius foliola lenticulæ virides videntur. Confert eryſipelati, podagræ & apoſtemati.

Aqua eius valet ad inflammationes partium interiorum & ad febres pestilentes. Mathi. lib. 4. cap. 83.



LENTISCVS. MASTICHE.

CAP. CCLXVI.

EST arbuscula foliis subuiridibus, ad myrthi folia accedens, octo à singulis caudicibus, ordine pari, dependent, & circa rubescunt, odor eius est ingratus, semper viret, racemosos fructus fert. Saxosa amat loca; in Arabia mastichen stillat, hæmorrhagias narium, &c. tollit, vt & dolores dentium, & trahit humores à cerebro, dolores stomachi aufert, & frigidos iuncturarum dolores, tandemque hæmoptoi confert. Mathi. lib. 1. cap. 75.

Partes eius omnes adstringunt, quare sputo sanguineo, dysenteriæ, ani procidentiæ, &c. prodest. Diosc. lib. 1. cap. 72.

Ex eo etiam parantur dentiscalpia.




LEONTOPETALON.

Cap. CCLXVII.

Diosc. lib. 3. c. 98. LEONTOPETALON seu rhapeion, habet folia brassicæ sed laciniata, siliquas ciceris, radicem rapi sed nigram florem rubrum, instar anemones. Rura amat. Serpentum ictus & dolores eorum statim mitigat, si cum vino hauriatur.

Mathi. lib. 3. cap. 94. In Apulia frequens est. Eius radix resoluit, exiccat & calefacit, tertio gradu.



LIGVSTRVM.

Cap. CCLXVIII.

LIGVSTRVM est Cypri species, Gallicè, *troesne*, est arbuscula, folio oleæ, flore candido, odorato, paruo, racemoso, semine rotundo & subflauo, tandem vero nigro. Sponte venit in sepibus, est modicè calid. & sicc. ac discutiens.

Plin. Succus eius neruis & articulis pro-

deſt & cum vino, vlceribus oris ac veretri. Adſtringentis eſt facultatis.

Flos eius fronti admotus dolores capitis tollit, foliorum decoctum ambuſtis & carbunculis prodeſt. Dioſc. lib. 1. c. 103.

Ex eius floribus fit optimum oleum ad inflammationes; oculorum fluxionibus, alui fluxibus, cœliacis, hæmoptoicis & dyſenteriæ prodeſt. Mathi. lib. 1. c. 107.



LILIVM.

CAP. CCLXIX.

LILIVM ſeu roſa Iunonis, Græce *κρίνον*. Eſt candidum, croceum & rubrum; in hortis colitur, eſt temperatæ facultatis; radix eius exiccat ſed fortius abſtergit.

Vnguentum ex eius radice emollit neruos, folia ad ſerpentum morſus valent & ad ambuſta, vetera vlcera, neruos præciſos & luxationes; ad alphos, furfures, lepras, achoras, inflammationes teſticulorum & ignes ſacros. Dioſc. lib. 3. c. 104.

Radix eius aſſa & cum roſaceo trita menſes prouocat & ambuſta curat. Galen. lib. 7. ſimpl.

Pilos aduſtis reddit, lichenes tollit. Plin.

Simeõ Sethi. Vulneribus vtilissima est eius radix si eis trita admoueatur.

Mathi. lib. 3. cap. 99. Resoluit & emollit, matricis duritiei conuenit. Radix eius sub cineribus cocta, ambusta, vulnera, vlceraque curat, & menstrua prouocat.

Eius species quædam est, *martagon*, dicta, florum foliis deorsum incuruis, cuius radix verrucas pedum cadere facit, cum oleo pilos regenerat, & apostemata maturat; aqua florum eius, partum iuuat, sanguinem coagulatum per aluum ejicit, secundinas expellit.

Lilii verò vulgaris radicum coctarum cataplasmata, curant bubones pestilentiales.



LIMACES.

CAP. CCLXX.

Diosc. LIMACES terrestres ac marini, stomacho non nocent, nisi paruuli sint, difficilè corrumpuntur, eorum conchæ vstæ lepras, vitiligines & dentes mundant; oculorum cicatrices, faciei maculas oculorumque cum melle tollunt; vstæ vero cum carne sua valent ad

oculorum debilitatem. Cum conchis triti & admoti, hydropicorum aquas exhauriunt, podagræque inflammationem tollunt, spinas, &c. eliciunt & menses euocant; cum aceto narium hæmorrhagiam sistunt, cum myrrha neruos solidant, eorum spuma capillos firmat. Cocti & triti lateris dolores curant, eorum decoctum potum, iliacæ passioni & hæmoptoi confert, dysuriam triti crudi & epoti per 7. dies, cum mulsa sanant, sic curant etiam stolidos; & cum ouo cocto triti ac fronti impositi fluxiones oculorum immodicas sistunt. Mathi. l.2.c.9.



LIMONIVM.

CAP. CCLXXI.

LIMONIVM dicitur beta syluestris, & pyrola, quod folia pyri habeat, item tintinabulum terræ ob figuram florum. Loca Syluestria & vmbrosa amat, adstringit tertio gradu.

Semen potum dysent. & cœliacos curat & menses sistit. Diosc. lib. 4.

Eius semen hæmoptoi etiam confert. Galen.

Ambustis valdè prodest. Vulnera, fistulas & vlcera curat. Plin.

Mathi. lib. 4. c. 16. Pyrola eſt folio rotundo & verum limonium, vulnera glutinat, imò interna, pectoris, inteſtinorum, &c. Solo ſuo decocto cum vino, imò quæ incurabilia credebantur.



LINGVA SERPENTIS.

CAP. CCLXXII.

LINGVA ſerpentis, Græcè, ophioglossum, à figura dicta, habet folia vnica & à ſingulis, quaſi lingua rotunda prominet, maio menſe in pratis repetitur, ſed citò euaneſcit. Eſt calida; & vulneraria, vulnera enim etiam maxima curat, tumores etiam diſcutit, vires habet ſymphyti.

Mathi. lib. 2. c. 161. Exiccat cum mediocri calore, vulnera ſolidat, optimè rupturis confert, ad pectoris, inteſtinorum, & interna vulnera in potu datur: ad hæmoptoin & albos mulierum fluores exhibetur vt & ad lachrymas inuoluntarias, ac vulnerum inflammationes.



LINVM ET LINARIA.

CAP. CCLXXIII.

LINVM est calidum primo gradu humidum & siccum initio primi.

Semen eius vires fœnu-græci habet, inflammationes discutit & emollit, cum melle, oleo & aqua; cutis vitia, & varos cum nitro tollit, parotidas vero & herpetas cum lixiuio vinoque; decoctum eius ad erosiones vteri & intestinorum ac vuluæ inflammationes injicitur. Diosc. lib. 2. cap. 91.

Vrinas etiam optimè mouet. Galen.

Conuulsioni & neruorum retractioni confert, dura emollit, iuncturis vtilis est debilibus, vt & rhagadibus ani, & dolori lateris; matricem etiam emollit. Mathi. lib. 2. c. 96.

LINARIA.

LINARIA seu linum syluestre, aliter osyris & herba vrinalis dicitur. In campis passim reperitur. Est amara & ideo calida. Vrinam mouet.

Decoctum eius epotum icterum curat. Diosc. l. 2. c. 91

Obstructiones aperit, cutem leuigat, Gal. l. 8. simp.

Plin. Venustatem conciliat, aluum sistit.

Mathi. lib. 4. c. 138. Iecur deobstruit aliasque partes; ex ea fucus paratur.




LITHARGYRVM.

CAP. CCLXXIV.

Mathi. lib. 5. c. 62. LITHARGYRVM seu spuma argenti, fit in fornacibus, dum cum plumbo argentum purificatur, album dicitur argenteum, ruffum aureum.

Diosc. lib. 5. cap. 67. Valet ad collyria & ad mundandas cicatrices, rugas tollendas & faciei maculas.

Galen. lib. 9. simpl. Desiccat & adstringit; optimum est etiam remedium ad femorum excoriationes.



LITHOSPERMVM.

CAP. CLXXV.

LITHOSPERMVM seu milium solis, à figurâ & à duritie seminis dictum, Gallicè, *greml & herbe aux perles*, dicitur.

Habet ramos lignosos, folia oleæ, se-

men lapideum. Est calidum siccum.

Semen eius cum vino albo potum, calculos frangit & vrinam ducit. Diosc. lib. 3. c. 143.

Valet ad fluxum spermaticum si sæpe capiatur ad drachmam vnam & semis. Partum etiam iuuat. Mathi. lib. 3. c. 141.



L*OLIVM*.

CAP. CCLXXVI.

LOLIVM, αἶρα, Græcè, quod tollatur, nigella & pseudomelanthion à colore seminis, & githago, Gallicè, *iuroye, zizanie, niele, gasse.* Folia habet porracea, florem purpureum, semina angulata, inter segetes prouenit.

Desiccat & calefacit efficaciter, inter secundum & tertium gradum. Cum raphano & sale illitum, putredines, nomas & gangrenas tollit, cum sulfure & aceto, feras impetigines, cum vino & semine lini coctum strumas discutit, eius decoctum, cum aqua mulsa illitum, dolori ischiadico prodest; suffitũ cum myrrha & thure conceptionem iuuat, illitum verò, quæ ægrè maturantur rumpit. Diosc. lib. 2. cap. 88.

Farina eius ossa fracta elicit. Galen.

Mathi. lib. 2. c. 93. . Attenuat, resoluit & mundat, oculis nocet, somnum prouocat. Lichenes, vlcera & alia vitia cutanea mundat, panos cum fimo columbino coquit, cum adipe anseris capitis dolores tollit. Pani mixtum inebriat.



LONCHITIS.

CAP. CCLXXVII.

LONCHITIS filicem imitatur, sed non est ramosa, ceterach etiam imitatur sed maior est.

Diosc. lib. 3. c. 146. Mirè prodest ad vulnera & inflammationes & pota lienem absumit.

Mathi. lib. 3. c. 145. Habet semen triangulare. Radix eius vrinas cit & lienem emollit.



L*OTVS ARBOR.*

CAP. CCLXXVIII.

Diosc. lib. 1. c. 131. LOTVS arbor, Gallicè, *micoucoulier*, est arbor procera, fructum dulcem ferens, decoctum eius ligni, dysenteriam curat, menstrua & alui fluxus sistit.

Fructum cerasi magnitudine fert, primò, viridem, post album, citrinum, & nigrum, è caudicibus pendet. Folia habet denticulata, vt ilex. Mathi. lib. 1. c. 134.

Desiccat, capillos retinet ne cadant. Gal. l. 7. de simp &c.

De loto Ægypti vide Diosc. Diosc. lib. 4. cap. 97.

LOTVS HERBA.

LOTVS herba est trifolium, habet enim tria folia. Mathi. l. 4. c. 106. 107

Confert oculis eorumque maculis & iis faciei cum melle. Est calid. & modicè adstringens. Dolores vesicæ leuat. Diosc. lib. 4. cap. 95.

Digerit & desiccat modicè. Semen habet vt fœnu-græcum. Galen. lib. 7. simpl.



LVNARIA.

CAP. CCLXXIX.

LVNARIA minor seu racemosa, Gallice, *taure*, est caule rotundo, foliis lunatim incisis, semine betæ simili. Alij securidacæ speciem lunariam vocant, quæ ab aliis, sferra cauallo dicitur, quasi ferrum caballi, quia eius figuram in semine refert, & à praua pro- Fuchsius. c. 181.

nuntiatione ineptè soleas ferreas equorum supergradientiũ auellere, nonnulli crediderunt.

Amat montes, Tubingæ in pede montis Austriaci circa ophrim, seu bifolium reperitur, in fine Maii & initio Iunii, postea enim euanescit. Est mediocriter frigida & sicca. Valet ad vulnera, menses sistit, albos præcipuè.

Mathi. lib. 3. c. 135. Menstrua alba & rubra sistit. Sferra cauallo consolidat & adstringit.

LVPINVS.

Cap. CCLXXX.

LVPINVS, sic dicitur quod necet alias plantas circa eum nascentes. Aliter thermus, est leguminis genus quo antiqui vescebantur. Caulem vnicũ habet, folia quinquefolii, florem cand. aut ceruleum, & siliqnas in quibus 5. aut. 6. grana compressa reperiuntur. Limosum agrum amat, amarus est & ideo calidus siccus.

Diosc. lib. 2. c. 98. Farina eius cum melle lincta, lumbricos pellit, lienosis prodest, vtiliter eâ perfunduntur gangrenæ, vlcera, sca-

bies, achores, & exanthemata; menses & fœtus educit, dol. ischiadicum cum aceto lenit, cutem expurgat, strumas dissipat in aceto cocta, carbunculos rumpit; radix eius pota vrinam prouocat, stomachi fastidium lenit, & appetitum reuocat.

Est emplasticus. Cum posca potus vermes ejicit, cum ruta & pipere iecur & lienem expurgat, cum myrrha & melle, fœtum & menses educit, tubercula curat, liuiditates tollit, scabiem sanat. Galen. lib. 6. simpl.

Eius vsum in cibis Galenus vituperat. Id. l. 1. de aliment.

Farina eius resoluit sine mordicatione, imò scrophulas & alios tumores duros, admouetur etiam doloribus ischiadicis. Mathi. lib. 2. c. 103.



LVPVLVS.

CAP. CCLXXXI.

LVPVLVS vel lupus reptitius vel salictarius quod salices scandat, bryon à bryoniæ similitudine, Gallicè, *houblon* quasi humulus quod ad humum repat dicitur. Habet folia vitis-albæ, caules aculeatos, flores cinereos, radicem subnigram. Fuchsius.

Nascitur circa fossas & ripas, est calidus siccus, licet temperatus existimetur. Bilem euacuat, abscessus discutit, pituitam hydropicorum educit, obstructiones coctus aufert, præcipuè iecoris & lienis.

Mathi. lib. 4. c. 140. Est calidus, abstergit, extenuat, expurgat, sanguinem mundat, aluum laxat, obstructiones tollit, decoctum florum ad venena prodest, scabiem, luem veneream & alia cutis vitia tollit, vermes necat, menstrua & vrinas cit, inflammationes tollit, ictero prodest, vt volubilis.



LYCHNIS.

CAP. CCLXXXII.

LYCHNIS, seu rosa Græca, Gallicè, *œillets Dieu*, lychnis dicitur quod ob lanam suam pro elychnio eo olim vterentur.

Diosc. L.3.c. 101.102 Habet florem violæ sed purpureum. Semen eius potum ad ictus scorpionum valet & ad drachmas duas sumptus, bilem purgat. Est planta coronaria.

Gal.l.7 simpl. Est calida & sicca secundo gradu.

Habet

Habet folia alba & lanuginosa. Mathi. lib. 3. cap. 98.

Been rubrum & album sunt species eius & valent ad dolores & morbos cordis. id. l. 4. c. 154.



LYSIMACHIA.

Cap. CCLXXXIII.

LYSIMACHIA ab inuentore lysimacho dicta, vel à vi iumentorum discordiam tollendi, si eorum iugo imponatur. salicaria etiam dicitur, à figura foliorum, vel quod inter salices vt plurimum sit, Gallicè *Corneole & chasse bosse*, Est purpurea & lutea, cubitalis altitudinis, amat palustria, adstringit & exiccat.

Dysenteriæ & hæmoptoi confert eius succus & si apponatur menstruorum nimio resistit fluxui, narium hæmorrhagiam sistit, muscas necat, serpentes vsta fugat, vulneribus confert. Diosc. lib. 4. cap. 3.

Vulnera glutinat & sanguinem sistit emplastri modo illita. Galen. lib. 7. simpl.

Adstringit, sanguinem & dysenteriam ac omnem sanguinis fluxum, menstruaque nimia sistit. Mathi. lib. 4. cap. 3.



MAGNES.

CAP. *CCLXXXIV.*

Diosc. l. 5. c. 111.

MAGNES, dicitur etiam, lapis sideritis, Heraclius vel Herculeus, & calamita. pondere trium obolorum propinatur ad humores crassos attrahendos.

Galen. lib. 9. simpl. Mathi. lib. 5. c. 105.

Vires habet similes lapidi hæmatiti. sic dicitur à Magnete inuentore suo, vel à Magnesia regione. in empl. contra rupturam vtilis est. reperitur etiam coloris albi, & philtris immiscetur.



MAIORANA.

CAP. CCLXXXV.

MAIORANA seu sampsuchum, satis nota est, desiccat & calefacit tertio gradu.

Diosc. lib. 3. c. 39.

Decoctum eius prodest hydropi incipienti, & vrinæ difficultati, torminibusque. siccata & postea cum melle illita, sugillata tollit. in pesso menses ducit,

valet etiam illita, cum sale & aceto ad ictus scorpionum, vt & ad oculorum inflammationes & luxationes.

Ad oculorum epiphoras valet, vuluas calefacit, sternutare facit. Plin.

Est odorata & attenuans, digerens, aperiens, roborans, succus instillatus auditum iuuat & morbis neruorum cerebri frigidis confert, cerebrum stomachumque roborat, hepaticis ac asthmati prodest; aliisque pectoris morbis, paralysi, obstructionibus, morbis matricis, ventis & spleniticis, &c. Mathi. lib. 3. c. 40.



MALA. MALA PRÆCOCIA.

Cap. CCLXXXVI.

SVB mali nomine multi fructus continentur, malum verò vulgare adstringit non maturum & viride, præcocia vero (*abricots,*) dicta vt & mala Persica, prosunt stomacho, ventrique, cocta aluum sistunt. Diosc. lib. 1. c. 128.

Difficilis sunt digestionis. Cum saccharo & amylo cocta & comesa pleuritidi prosunt. Poma vero vulgaria aluum laxant & corpus refrigerant. Mathi.

MALA RHODACENA ET PERSICA.

Galen. lib. 2. de aliment. MALA vero Rhodacena vel duracina, Gallicè *pesches*, Nocent stomacho. Flores eorum comesi aquas euacuant hydropicorum, vomitum & alui fluxum inducunt, etiamsi cruda edantur; gummi eius cum aqua plantaginis datur hæmoptoï & asthmati, vt & tussi, cum croci momento, asperæ arteriæ raucitati; folia tusa ventri admota vermes necant & tormina tollunt alopeciamque curant; oleum nucleorum eorum, hæmicraniæ, dolori aurium & calculo confert. Mala Persica folia amara habent & ideo calida, sed fructus est frigidus.

Diosc. lib. 1. c. 143. Matura Persica bonam faciunt aluum, sicca vel cruda adstringunt.

Galen. ibid. Folia discutiunt, primâ cœnâ edenda sunt, non vltimâ, ne reliquis cibis supernatent. Flores eorum cum saccharo modicè purgant. Vide Mathiolum.

Mathi. lib. 1. c. 131.

MALA CITRIA, LIMONIA. ET AVRANTIA.

Cap. CCLXXXVII.

MALA citria & limonia comesa serpentum veneno, ac pesti resistunt; tineas à vestibus fugant, cruda stomacho nocent, melancholiam arcent, desiccant, refrigerant & calculum pellunt. Mathi.

MALA AVREA.

MALA aurea vel aurantia. Valent aduersus febres pestil. si aqua eorum bibatur, ad vermes & variolas puerorum, sudores prouocant, corroborant; cortex est calid. sic. econtra caro. Cortex tritus & propinatus vermes optime necat.

MALA COTONEA VEL CYDONIA.


Cap. CCLXXXVIII.

MALA cydonia vel cotonea, Gallicè *coings*, arbor verò, *coigner* & Fuchsius.

coignaßier, cydonia dicta sunt à Cydone Cretæ vrbe, vel à Sidone, vel à Sidonte Corinthi vico. Dicuntur etiam, mala struthea ob magnitudinem. Sunt frigida primo gradu, & terrestria ac sicca secundo & adstringunt.

Diosc. lib. 1. c. 140. Stomacho vtilia sunt, vrinam mouent, dysenteriæ & aliis alui fluxibus conferunt, cruda eius cataplasmata aluum cohibent. & ardorem mammarum tollunt, cum vino menses sistunt & oculorum inflammationes curant.

Mathi. lib. 1. c. 131. Seminis eorum mucillago admota vtilis est inflammationibus, epota vero dysenteriæ.



MALA PVNICA VEL GRANATA.

Cap. CLXXXIX.

MALA punica quod à regione Punica venerint dicta, Gallicè *grenades* à granis innumeris, vel regione Granata Hispaniæ, dicta sunt.

Diosc. lib. 1. c. 124. Vrinas prouocant, nocent febribus, ardori stomachi prosunt, acini eorum sicci & puluerati hæmoptoi vtiles sunt, vt & dysenteriæ & menstruis nimiis, vl-

cera pudendi, ani & oris cum melle curant, excrescentias carnis circa vngues absumunt, dolores aurium tollunt, dentes roborant, gingiuas desiccant. Adstringunt.

Malicorium est eius cortex quo olim vtebantur loco sumach ad tingendum. Balaustia sunt eius flores sicci, cortex autem & flores aluum sistunt & adstringunt, & talorum abscessus curant; è floribus fit conserua sistens optimè menstrua alba & rubra, ac dysenteriam. Mathi. lib. 1. c. 127.

Omnes mali granati partes valdè adstringunt. Galen. lib. 8. simpl.

Corticis cum vino ebulliti collutione dentium dolor moderatur & dentes firmantur.



MALABATHRVM.

CAP. CCXC.

MALABATHRVM seu folium Indum aquis innatat vt potamogetum, vires habet nardi, vrinam valdè prouocat, stomachum roborat; cum vino oculorum inflammationibus apponitur. Vide Mathiolum. Diosc. lib. 1. cap. 11. Mathi. lib. 1. cap. 11.



MANDRAGORA.

Cap. *CCXCI.*

MANDRAGORA, ſeu malum caninum ac terreſtre, & antropomorphos ob figuram humanam in radice, dicitur etiam circæa. Eſt mas quæ albicat vel fœmina quæ nigra eſt, folia betæ habet, poma inſtar vitellorum ouorum. Syluas & vmbras amat, tertio gradu refrigerat.


Dioſc. lib. 4. cap. 65. Sucus eius ad obolos 2. propinatur iis, quos ſine dolore ſecare volumus, peruigiliis & doloribus confert, ſtigmata ſine vlceratione delet, dolores articulorum ſedat, diſcutit; odore mali vel ſi comedatur ſoporem inducit. Vide etiam Dioſc. de circea.

Dioſc. lib. 3. c. 121. Mathi. lib. 4. c. 71. Gal. l. 7. ſimp. Somnifera ſunt eius mala. Radix vero refrigerat & deſiccat. Ex Galeno eſt valdè frigida.

MALA INSANA.

MALA inſana ſunt ſpecies mandragoræ, morion & Gallicè *pomes d'amours*, dicta quod amabilia ſint ob ele-

gantiam suam in hortis proueniunt, cum oleo & sale comeduntur sed non valdè sana sunt vnde forsan insana dicta fuerunt.



MANNA.

CAP. CCXCII.

EST ros condensatus in Calabria, in foliis laricis, fraxini & orni; melius est candidum & recens, solidum & rotundum. Temperatum est ex Auicenna & Mesuë, aperit, aluum emollit, bilem educit, thoraci confert. Ad febres hecticas, ardentes & sitim valet, eius flatulentia cinnamomo corrigitur, vel aniso. Datur ab vncia vna ad vncias tres iuxta ætates. Iusculis dissolutum propinatur. Vide Mathiolum.

Morel. de mat. medic. Auicenna. Mesuë. Mathi. lib. 1. c. 73.



MARGARITTÆ.

CAP. CCXCIII.

MARGARITTÆ vel vniones, ex Serapione & Auicenna opti-

Mathi. l. 2. c. 4. Serap. Auicc.

mæ ſunt cordis paſſionibus omnibus. In collyriis etiam commendantur, oculorum enim humores exiccant.




MARMOR.

Cap. CCXCIV.

Renodæus.l. 2. mat. med. ſect. 2. cap. 11.

EO tantum vtimur in vnguenti citrini compoſitione, pro officinis pharmacopæorum. Marmora, etiam admota occipiti, ſanguinis fluxum è naribus frigore ſuo cohibent.



MARRVBIVM VEL PRASSIVM.

Cap. CCXCV.

MARRVBIVM vel praſſium aut marrubiaſtrum, aliter, ballote, Gallicè *marrouchin*.

Eſt album & nigrum, ſeu fœtidum, hirſutum, amarum, caules quadrangulos habet, flores verticillatos, folia apiaſtri, florem purp. naſcitur propè vias & rudera. Eſt acre, calefacit ſecundo gradu, ſiccat tertio.

ALBI MARRVBII VIRES.

DECOCTVM foliorum eius cum melle, aſthmati prodeſt, menſes ciet & ſecundinas pellit, demorſis à ſerpentibus, partui difficili & iis qui venena hauſerunt confert; dolorem laterum mitigat, ſordida vlcera mundat, cum melle & vino ad oculos claros faciendos valet, ictero, eius ſucco per nares hauſto, prodeſt, vt & aurium dolori, nomis & pterygiis. Dioſc. lib. 3. c. 105. 107.

Iecur & lienem deobſtruit, detergit ac diſcutit, ad aurium dolores veteres valet. Galen. lib. 6.

Morſus canum rabidorum curat, mammarum tumores tollit, ſcabies & icterum optimè ſanat, obſtructiones etiam tollit. Mathi. lib. 3. c. 102.

MARRVBIVM NIGRVM.

FOLIA eius cum ſale admota morſus canum rabidorum & ſordida vlcera cum melle curant. Ex Paulo Ægineta, abſtergunt. Ex Plinio, folia cocta condylomata ſanant. Dioſc. lib. 3. c. 105. 107. Paulus Ægin. Plin.

Eſt acre & abſterſiuum. Cum ſale admotum morſus canum rabidorum curat. Mathi. lib. 3. c. 100.



MATRICARIA.

Cap. CCXCVI.

MATRICARIA, solis oculus, & Parthenium idem sunt, vt & Athanasia, & Tanacetum seu matricaria mas. Ga l cè, *espargoute*, est artemisiæ species ex nonnullis. Tertio gradu desiccat & calefacit.

Diosc. lib. 3. c. 140. Asthmati prodest, & emollit, flores eius ad sacros ignes & inflammationes valent.

Mathi. l. 3. c. 138. Tanacetum dissoluit ventos stomachi, vermes necat, calculum renum rumpit.



MEDVLLA.

Cap. CCXCVII.

Mathi. lib. 2. cap. 70. MEDVLLA ceruina omnibus præstat, postea vitulina, tertio caprina & ouilla. Omnes emolliunt, calefaciunt rarefaciunt & carnem in vlceribus regenerant.


Res duras & schirrosas emollit in matrice & aliis locis. Difficile digeritur. Galen. lib. 11. simpl.



MEL.

Cap. CCXCVIII.

ABSTERGIT, aperit, attrahit, vtimur eo in vlceribus cauis & sordidis, cum alumine scabiem tollit, cum sale aurium tinnitus aufert, frictione sola capitis lendes & pediculos necat, visus debilitatem tollit, gargarismate oris, vuulæ & tonsillarum vitia curat, synanchæ & dysuriæ, tussi & morsibus serpentum confert. Vide Mathiolum & Galenum. Diosc. l. 2. c. 71. Mathi. lib. 2. cap. 75. Galen. l. 3. de alim.



MELILOTVS.

Cap. CCXCIX.

MELILOTVS, sertula campana & corona regia, idem sunt, duo vltima autem nomina accepit quod in sertis, & coronis ponatur, Gallice, *melilot*. Habet folia trifolij florem luteum, est Fuchsius. c. 199.

planta satis alta, amat loca montana, discutit & maturat.

Diosc. lib. 3. cap. 40. Adstringit parumper, mollit inflammationes, oculorum, aurium inflammationes, aliarumque partium sedat, stomachi dolores leuat.

Plin. Ad meliceridas vtilis est.

Mathi. lib. 3. c. 41. Galen. lib. 6. simpl. Ex Galeno, resoluit, maturat, calefacit, primo gradu, leuiter resoluit, digerit, emollit & dolores omnes mitigat. Est enim fere temperatus.



MELISSA.

CAP. CCC.

Fuchsius c. 189. MELISSA, & melissophyllum idem sunt, sic dicitur quod ab apibus ametur, vt & apiastrum, citrago vero & citronaria ob odorem citri in foliis. Gallicè, *melisse*. Habet folia vrticæ mortuæ, amat syluas & hortos, calefacit secundo gradu & desiccat primo.

Diosc. lib. 3. c. 106. Folia illita valent ad ictus canũ, scorpionum & phalangiorum, ad dentium dolores vero collutionè, insessu ad menstrua prouocanda, ad dysenteriam iniectione, item ad fungorum venenum, or-

thopnœam, tormina, cum sale illita strumas discutit, arthritidis dolorē mitigat, vlcera purgat. Vires habet marrubij. Galen. lib. 7. simpl.

Pellit melancholiam & hilarem facit, bonaque inducit somnia. Memoriam etiam iuuare creditur. Vide Mathiolum. Simeō Sethi. Mathi. lib 3. c. 101.



MELO. ANGVRIA.

CAP. CCCI.

MELONVM decoctum, febrem tollit sitimque & iecur deobstruit, vrinam mouet; tussi, phthisi & hecticis confert. Semen eius refrigerat & ex eo parantur emulsiones ad vesicæ ardores & calculum ac dolores nephriticos. Mathi. lib. 2. c. 128.

Citruli verò seu anguriæ sunt melones maculati, qui sitim tollunt si à febricitantibus mandantur. Fuchsius. c. 266.



MENTA. MENTASTRVM.

CAP CCCII.

MENTHA, Græce ἡδύοσμος, quod suauem spiret odorem, menta ve- Fuchsius.

ro vel à μίνθη, vel quod mentem odore recreet. Eſt ſatiua ſeu hortenſis & ſylueſtris ſeu mentaſtrum, quæ in in foſſis, vdiſque locis reperitur. Eſt acris & calida 3. grad. & exiccat ſecundo.

Dioſc. lib. 3. cap. 34. Adſtringit, calefacit, & exiccat, eius ſuccus potus cum aceto ſanguinem ſiſtit, lumbricos necat, venerem excitat, ſingultus vomitus & choleram ſedat, cum polenta abſceſſus diſcutit, fronti impoſita capitis dolores mitigat, mammas lacte diſtentas compeſcit, cum ſale canum morſibus imponitur, ſuccus ad dolores aurium valet, conceptioni reſiſtit ante coitum admota lac coagulari non permittit, eſt vtilis ſtomacho.

Galen. Hæmoptoes tollit ſi cum oxymelite bibatur & ex Aëtio, colicum dolorem ſedat, ſi eius decoctum per triduum bibatur.

Aëtius

Simeõ Sethus Ventrem & iecur frigidum roborat, prodeſt cardialgiæ & appetitum dat, lienoſos & partum difficilem cum vino iuuat.

Plin. Menſes ſiſtit, cum amylo ad cœliacos, venena & epiphoras valet.

Mathi. lib. 3. cap. 35. Calefacit, attenuat, aperit, abſtergit, roborat, matrici confert, & hydropi, ſtomachum roborat & caput deobſtruit, ſerpentes fugat. *MEN-*



MENTA AQVATICA. SISYMBRIVM.

CAP. CCCIII.

MENTA aquatica seu sisymbrium, a meretrice eiusdem nominis ex Varrone nomen habet, est basilici species. Dicitur etiam corona veneris, cardamine à gustu cardami, & nastuttium aquaticum; tamen notandum est esse aliam mentam aquaticam, balsaminam, dictam. Fuchsius. Varro.

Mentam refert caule quadrato, purpurascente, flores habet orbiculatim dispositos. Riuos amat. Est cal. & sicca tertio gradu.

Semen eius cum vino datur ad stranguriam, calculum, tormina & singultus. Folia fronti ad dolorem capitis & ictus apum admouentur, vomitum sistit, vrinas cit, lentigines tollit. Diosc. lib. 2. c. 114.

Idem ait, & quod vigilias excitat, si capiti cum aceto infundatur. Plin.

Vermes necat si intus vel extra vsurpetur, morbis matricis prodest si vmbilico admoueatur, si testiculis verò appli- Mathi. lib. 2. c. 121.

cetur pollutiones impedit nocturnas; si ventri inferiori vrinas retentas expellit, succus eius lethargicis topice admouetur, ad singultum bibitur cum vino & ad tormina. Resoluit.



MERCVRIALIS.

Cap. CCCIV.

Fuchsius. MERCVRIALIS seu linozostis, Gallicè, *Mercuriale*; est mas & fœmina, maris folia sunt nigriora, fœminæ semen est racemosum, maris vero vt testiculi, folia habet ocymi, amat campestria. est calida sicca primo gradu.

Diosc. lib. 4. c. 167. Aluum mouet, olerum modo comesa, bilem & aquas educit, fœmina vuluæ apposita, fæminas concipere facit, Plin. vt creditur; mas vero mares. idem ait Galen. lib. 7. simpl. Plinius. in cataplasmate est digerentis facultatis, & resoluit ac purgat si edatur.

Mathi. lib. 4. c. 183. Plin. Purgat, pectus mundat & choleram euacuat ex Plinio. frictione omnes verrucas curat, semen icterum sanat.



MERCVRIALIS MONTANA, CYNOCRAMBE.

Cap. CCCV.

MERCVRIALIS Montana, Græcè cynocrambe, id est brassica canina, apocynum, cynomoron & cynia quod canes necet, habet caulem subalbum, dodrantalem, tenerum, folia mercurialis communis, semen binum instar testiculorum, iuxta folia situm. Fuchsius.

Comesa aluum cit & bilem ac aquosos humores educit. Diosc. lib. 4. c. 168.

Est calida & venenata non solum canibus sed etiam hominibus. Mathi. lib. 4. cap. 76. & 85.



MESPILVS.

Cap. CCCVI.

MESPILVS, Gallice *nefflier*, est quædam eius species, aronia dicta, Gallice, *azeroles*, tres tantum habens nucleos. Folia habet spinæ albæ.

Aronia adstringit & vtilis est aluo & stomacho. Diosc. lib. 1. c. 130.

Cœliacis & dysent. mespila prosunt, eorum decoctum oris fluxiones sistit, Mathi lib. 1. c. 133.

dentium & gutturis, menstrua sistit vel minuit, admota cum cariophyllis, & nuce myristica stomachi orificio vomitum sistunt, folia vulnera sanant, hæmoptoin tollunt, putamina vero pota calculum renum curant. Galenus ea ad alui fluxus ob adstringentiam quam habent commendat.

Galen. l. 2. de alim. & lib. 7. simpl.



MEV.

Cap. CCCVII.

Diosc. lib. 3. cap. 57.

MEV Anethum refert, habet radices subnigras, caulem bicubitalem, coctum in aqua & epotum, vrinas educit, valet ad renes & vesicam obstructam, ac colicum dolorem. Menstrua etiam educit. Calidum est tertio gradu, siccum secundo. Valet aduersus morsus serpentum.

Mathi. l. 3. c. 3.



MILIVM.

Cap. *CCCVIII.*

MILIVM, Græce, cenchrus, Gallice, *millet*. Refrigerat & exiccat, tertio ordine vel secundo intenso.

Diosc. lib. 2. cap. 85.

Aluum sistit, vrinam mouet, tostum & appositum fomenti loco torminibus &

aliis doloribus confert. Idem ait Galenus. Neruorum doloribus adhibetur. Galen. Plin. Simeō

Parum nutrit ex Simeone Setho. Plura vide apud Mathiolum. Sethus Mathi. lib. 2. c. 90.

MILIVM HISPANICVM.

MILIVM, vel triticum Hiſpanicum aut Indicum, vires habet tritici & temperamentum ſimile, ſed eius panis obſtruit, ſuccus vero refrigerat & valet ad eryſipelata.



MILLEFOLIVM. MILITARIS.
CAP. *CCCIX.*

MILLEFOLIVM, ob magnum foliorum numerum, Græcè, ſtratiotes, quod militum vulnera ſanet. Amat vias & ſemitas, adſtringit & exiccat. Fuchſius.

Sanguinem mirè ſiſtit, ad vlcera vetera & recentia fiſtulaſque valet. Idem ait Galenus & addit quod vulnera glutinat. Sanguinem concretum diſſoluit, menſeſque ſiſtit. Dioſc. lib. 4. cap. 87. & 98.

Boum neruos abſciſſos glutinat. Plin.

Confert hæmoptoï, dyſenteriæ, albis fluoribus mulierum, & fluxi ſpermatico; dolores etiam dentium, vomitumque tollit. Mathi. lib 4. cap. 97.



MOLY.
CAP. *CCCX.*

Diosc. lib. 3. cap. 46.

MOLY est bulbus, folio graminis, flore violæ albæ, prodest matricis aperturis, si pessarij formâ indatur eius radix, cum vnguento irino.

Mathi. lib. 3. c. 47.

Vide Mathiolum. De hac Homerus & alij, multa fabulati sunt.



MORVS.
CAP. *CCCXI.*

Diosc. lib. 1. c. 140.

MORVS dicitur quod in gemmis ejiciendis moretur. Fructus eius catharris prodest & inflammationibus gutturis cum melle, vlceribusque corrosiuis, aluum laxat, nocet, stomacho, ambusta curat, aconito resistit, aranearum & phalangiorum ictus sanat. Idem facit cortex, lumbricos etiam necat. Folia ambustis medentur, decoctum eorum, dentium dolores minuit.

Math. l. 1. c. 143. Gal. l. 8 simp. & l. 2. de alimēt.

Fructus immaturus valde adstringit, maturus vero mediocriter. Ex Galeno sicca mora dysenteriæ conferunt. Aliique omnes fluxus cohibent, econtra

vero viridia, cœliacis proſunt, parum nutriunt.



MOSCHVS.
Cap. CCCXII.

EX Aëtio, Simeone Setho & Ruellio Moſchus naſcitur ex apoſtemate vmbilici cuiuſdam capreæ, amore æſtuantis, apud Indos, vbi colligitur è terra, animal enim frictione iuxta arborum cortices & rupes, apoſtema rumpit, & cum maturum fluit, optimum eſt, ſtatim autem non bene olet, ſed cum tempore. Mundat oculorum maculas, cerebrũ roborat, cor recreat, & capitis dolores lenit. Mathi. lib. 1. c. 20. Aëtius Simeõ Sethus Ruellius.



MORSVS DIABOLI, SVCCISA.
Cap. CCCXIII.

MORSVS Diaboli, ſucciſa etiam dicitur, quod radix ſemper quaſi eroſa reperiatur, ſcabioſam refert, etiam flore, radice nigra eſt, folia habet lanceolæ, amat ſyluas & prata. trita & admota peſtilentes carbunculos ſtatim ſedat, vt & ſi cum vino cocta bibatur; radix co- Mathi. lib. 2. c. 174.

meditur ad matricis dolores & aerem corruptum ac pestilentem. est calida & sicca. puluis eius radicis vermes necat & liuiditates tollit.



MVSCVS.

CAP. *CCCXIV.*

Mathi. lib. 1. cap. 20.

MVSCVS, morbis matricis, lassitudinique prodest, si decoctum eius hauriatur podagræ calidæ confert, calculum vesicæ & renum rumpit, inflammationes tollit. de musco verò marino uide Dioscoridem.

Diosc. lib. 4. cap. 84.



MYROBALANI.

CAP. CCCXV.

Morellus de materia medica.

MYROBALANI sunt prunorum species quorum quinque sunt species, frigidi sunt primo gradu, sicci secundo, exceptis emblicis, citrini bilem educunt, Chebuli & emblici phlegma. corriguntur butyro, dosis eorum est ad drachmas duas; in infuso verò aut decocto ad vnciam semissem vel drachmas sex. conditi etiam comeduntur.

Ex Mesuë senectutem arcent vsu frequenti, recreant, odorem bonum conciliant, oculorum inflammationes tollunt, lepram & stomachum mundant à phlegmate, vomitum tremoremque membrorum sistunt. Mathi. lib. 4. c. 154. Mesuë.

MYRRHA. STORAX LIQVIDVS. CAP. CCCXVI.

MYRRHA est liquor arboris Arabiæ quæ incisione manat. storax vel styrax liquidus est etiam eius species. calefacit somnum prouocat, præstantior est, leuis, amarus & odoratus, matrici conuenit, menstrua cit, fœtum ejicit, ad tussim veterem & oris fœtorem propinatur sed parua quantitate, vt & in dysenteria & aliis alui fluxibus, laterisque doloribus; ante accessum, febris rigores tollit, vermes necat, vultus pustulas cum melle & aceto tollit, catharros naribus admotus sistit, vlcera vetera replet & præcipue oculorum, fœtores axillarum tollit, capillos firmat. Diosc. l. 1. c. 64. 65.

Est antidotus. in ouis coctis ablato luteo ponitur & ibi coquitur donec fundatur & hoc oleo tolluntur cicatrices Mathi. lib. 1. cap. 68.

& rugæ Galeno enim teſte mirè abſtergit, eſtque fucus optimus.



MYRRHIS.
CAP. *CCCXVII.*

MYRRHIS, cicutaria dicitur, quod folio & flore cicutam referat, Gallicè, *Perſil d'aſne.* in hortis ſegetibus, & pratis naſcitur. calida eſt ſecundo gradu odore ſuaui, & radice dulci.

Dioſc. lib. 4. cap. 99. Ad morſus phalangiorum cum vino propinatur, menſes & ſecundinas ejicit, tabi & peſti pota confert.

Galen. lib. 7. ſimpl. Expurgat quæ in thorace & pulmone ſunt.

Plin. Phthiſi confert, ſuccus eius vlcera faciei & capitis curat.

Mathi. lib. 4. c. 111. Menſtrua prouocat & humores craſſos expectorat.



MYRTILLVS.
CAP. CCCXVIII.

Mathi. lib. 1. c. 128. MYRTILLVS eſt in ſyluis Germaniæ, foliis buxi, floribus campanulæ inſtar rubentibus, filis ruffis intus

diſtinctis,grana habet inſtar iuniperi ſed vinoſa, loco myrti vſurpatur in Medicina at infectores & coriarii eis vtuntur vt & myrto ad cæruleum colorem; in condimentis verò hi fructus,vt & myrti ſtomachum roborant.

MYRTVS.

CAP. CCCXIX.

MYRTVS montium & nigri coloris,meliores ſunt, adſtringunt, ſuccus ad morſus venenatos datur, ſemen decoctum curat vlcera,& vteri procidentiam, folia vtilia ſunt vnguium procidentiis. Dioſc. lib. 1. c. 125.

Myrtus in hortis reperitur, & in ora Tyrrheni maris,odore grato,folio buxeo bruſcus eſt eius ſpecies, vel eſt Myrtus ſylueſtris. deſiccat valdè & eſt naturæ frigidæ & terreſtris. Mathi. l. 4. c. 141. l. 1. c. 128. Galen. lib. 7. ſimpl.


MYRTVS SYLVESTRIS, VEL BRVSCVS.

CAP. CCCXX.

BRVSCVS vel ruſcus eſt myrtus ſylueſtris,& dicitur oxymyrſine & myr-

tacantha. Habet folia buxi vel myrthi sed maiora & aculeata. Folia & fructus vrinas cient & menstrua, icterum & dolorem capitis tollunt, vide Mathiolum.

Diosc. lib. 4. c. 126. Mathi. lib. 1. cap. 28.



NAPVS. RAPVM.

CAP. *CCCXXI.*

Fuchsius. c. 63.

NAPVS, Græcè, bunias, à tumente figura. Gallicè, *nauet & naueau.* Amat loca frigida, est syluestris & hortensis, cum rapo conuenit quod ad vires, est calidus secundo gradu & humidus primo.

Diosc. lib. 2. c. 100. Mathi. lib. 2. c. 105.

Radix eius elixa flatus creat, semen vero epotum optimè venenis resistit. Vide Mathiolum.


Diosc. l. 2. c. 99. & l. 4. c. 107

RAPVM.

RAPI decoctum prodest podagræ & talorum tumoribus; summitates eius vrinas mouent, cutem mundant, rapi nutriunt sed carnem flaccidam generant.

Mathi. lib. 2. c. 104.

Valde nutriunt. at radix auget sperma, semen eius luxuriam auget.



NARCISSVS.

Cap. CCCXXII.

NARCISSVS est planta bulbosa folio porri, flore albo, intus luteo cuius radix comesa vomitum cit, cum melle ambusta, pedum dislocationes ac iuncturarum dolores sanat, vlcera vetera mundat, res corpori infixas elicit faciei maculas tollit. Diosc. lib. 4. c. 140.

Abstergit & attrahit optimè. Mathi. lib. 4. c. 155.

Mirè vulnera, imò tendinum rupturas curat. Gal. l. 8. simp.



NARDVS LAVENDVLA.

Cap. CCCXXIII.

LAVENDVLA, nardus vel spica Celtica, & montana, nardi sunt species, Gallicè, *aspic.* Est & nardus Indica. Mathi. l. 1. c. 6. 7. 8.

Spica habet flosculos cæruleos, & spicatos, folia crassa & pilosa, odoris grauis. Lauendula verò flores habet purpureos. Amat aprica loca. Est calida sicca secundo gradu.

Confert stomacho frigido, eius infla- Diosc. l. 1. c. 7. 8.

tionibus, vteri dolori, lienis duritiei & obſtructionibus iecoris. Stranguriæ auxiliatur vt & apoplexiæ, paralyſi neruorum & cerebri, aliiſque morbis frigidis.



NARDVS INDICA. ET SPICA NARDI.

CAP. CCCXXIV.

Dioſc: l.1. c.6. POTA calefacit, vrinas mouet, menſes ſiſtit, ventos pellit, ictero confert, renum dolorem fotu leuat. Venenis aduerſatur.

Mathi. lib.1. c. 6. &c. Spica nardi valet ad morbos cerebri frigidos, apoplexiam, lethargum, epilepſiam, conuulſionem & paralyſin; iuuat ſtomachum, iecur & lienem deobſtruit, decoctum florum eius icterum & dol. dentium curat. Ad morſus venenatos valet.



NYMPHÆA NENVPHAR.

CAP. CCCXXV.

NYMPHÆA ſic dicta eſt quod aquas amet, alias dicitur, Nenuphar, Gallicè, *Blanc d'eau* & *iaunet d'eau*

à florum colore, & *Lis d'Estang.* reperitur flore candido lilio simili, & luteo, folia habet instar vngulæ equinæ, & aquis innatat, radicem habet crassam. tam semen eius, quam radix, refrigerant & desiccant.

Radix sicca cum vino pota, dysenteriæ & cœliacis prodest, vt & dolori stomachi & vesicæ, lienem minuit, alphos tollit, alopecias & venerea insomnia quia genitale infirmat, idem facit semen, menses etiam sistit. Dioſc. lib. 3. c. 134.

Alui fluxibus vtilis est. Galen.

Vulnerum hæmorrhagias cohibet. Theophrast.

Radix eius ad tenesmum propinatur, vlcera manantia & maculas omnes trita & apposita sanat vt & vlcera à calceorum attritu. Plin.

Semen & radix exiccant & abstergunt modice, gonorrheæ nocturnæ conferunt ac dysenteriæ. Mathi. lib. 3. c. 132.

Sistunt menstrua, alopeciam & vitiligines delent.



NIGELLA.

CAP. CCCXXVI.

NIGELLA seu melanthium, à nigredine seminis dicitur, aliter

gith, Gallicè, *Poiurete & barbue.*

Habet folia parua & ferulacea, Flores ferè vt aquilegia. semen odoratum & nigrum, instar pulueris pyrii crassioris. calefacit & siccat tertio gradu. est & alia species dicta, pseudomelanthium.

Diosc. lib. 3. cap. 81. Naribus inditur ad suffusiones & capitis dolores cum oleo irino; cum aceto verò tollit lentigines, lepras, œdemata antiqua clauosque circumscarificatos, dentium dolores collutione; vrinam & menses pellit, lac auget, asthmati confert, serpentes fugat, nimia tamen dosi necare posse asseritur.


Galen. lib. 7. simpl. Flatus optime extinguit, destillationes sistit in linteo admotum, semen olfactû verò vermes amaritudine suâ necat.

Plin. Serpentum & scorpionum vulneribus medetur, aduersus araneas deglutitas etiam bibitur, suffitu culices & muscas fugat.

Simeõ Sethus Ex Simeone Setho, calculos minuit.

Mathi. lib. 3. cap. 77. Ventos pellit, vermes necat, intus & extra admotum semen lepras tollit, lentiginesque, menstrua cit, & asthmati confert.

NITRVM.



NITRVM. APHRONITRVM. SALPETRÆ.

CAP. CCCXXVII.

NITRVM à lacu Ægyptio vel Arabico eiusdem nominis dicitur.

Vires habet salis, tritum & potum cum aqua mellita tormina alui tollit, miscetur emplastris resoluentibus extenuantibus & attrahentibus, cum melle hydropi admouetur, morsus canum rabidorum curat. Est naturale quod in cauernis reperitur, & factitium, seu salpetræ; est & aphronitrum seu spuma nitri, quod nocet stomacho & nimis incidit, attamen venenum fungorum obtundit. Vide plura apud Mathiolum & Galenum. Diosc. lib. 5. cap. 94. Mathi. lib. 5. c. 89. Galen. lib. 9. simpl.



NVMMVLARIA.

CAP. CCCXXVIII.

NVMMVLARIA sic dicitur à figura foliorum, vt & centummorbia ob vires & hirundinaria, ac serpentaria quod serpat, Gallicè, *l'herbe qui* Mathi. lib. 4. c. 36.

tuë les brebis. Flores habet luteos, parumper adſtringit & exiccat tertio ordine. Folia trita, vlcera ſolidant, cum vino pota curant dyſenteriam vt & hæmoptoes & fluxus muliebres, curant etiam vlcera interna & vulnera, præcipuè pulmonum.



NVX IVGLANS.


Cap. CCCXXIX.

Dioſc. lib. 1. c. 138. NVCES iuglandes ſeu baſilicæ vel regiæ, ſtomacho nocent & coctu ſunt difficiles, capitis dolorem afferunt, vomitum ſiſtunt, tuſſi nocent, venenis reſiſtunt cum caricis & ruta, lumbricos necant, morſui canis & hominis proſunt, cortex vſtus & cum oleo illitus alopecias tollit & pilos naſci facit, hilum vſtum ſiſtit menſes. Vetuſtæ nuces, illitæ tollunt gangrenas, ægilopas & carbunculos.

Galen. lib. 7. ſimpl. Valent ad neruos vulneratos, adſtringunt, ſtomachicæ ſunt, ſi cum melle aut ſaccharo condiantur. Folia trita aurium dolori proſunt.

Mathi. lib. 1. c. 141. Quidam iis curant gangrenas, fiſtulas lachrymales, carbunculos, &c.

Melioris digeſtionis eſt quam auellana. Ante cibum venenis reſiſtit. Galen. lib. 2. de aliment.



NVX INDICA.
CAP. CCCXXX.

EST fructus Indicus triangularis, magnus, ex quadam palmæ ſpecie proueniens, eſt calida ſecundo gradu & humida primo, auget ſperma, & prouocat ad luxuriam, oleum eius prodeſt hæmorrhoidibus, admotum curat dolores renum ac genuum, & vermes necat. Doloribus neruorum confert, tollit raucedinem epotum, emollit iuncturas, pinguefacit.




NVX MYRISTICA VEL MOSCHATA. MACIS.
CAP. CCCXXXI.

VENIT in arbore Indica, folio Perſici, fructus cortex eſt laciniatus & vocatur, macis vel macer, ab odore aromatico nucis moſchatæ vel myriſticæ, nomen fructui huic inditum eſt, oris halitum fœtidum tollunt & lentes faciei, viſum clarificant, iecur & ſtoma- Mathi. lib. 1. c. 141.

chum roborant, lienem tumentem consumunt, vrinas prouocant, aluum sistunt, tormina & ventos tollunt, & morbis vteri conferunt, & vno verbo ad eadem quæ caryophylli valent; oleum earum ad neruorum & iuncturarum dolores confert, ad luxuriam incitat, dolores stomachi mirè sistit & matricis dolores à ventis prouenientes.

Diosc. lib. 1. cap. 89. Macer est fructus eius cortex, ruffus & adstringens. Datur ad hæmoptoin, alui fluxus & dysenteriam.


Mathi. lib. 1. c. 141. Macis siccat, adstringitque tertio gradu, cœliacis confert, sed nux est calidior.



OCIMUM. BASILICUM. Cap. CCCXXXII.

OCIMVM, Græcè ὤκιμον, ἀπὸ τοῦ ὄζειν, redolere. Dicitur etiam basilicum, id est regium, in hortis colitur, ad mentam accedit, est calidum secundo gradu. Diosc. lib. 2. c. 127. & l. 4. cap. 24. Comesum ocimum visus aciem hebetat, aluum mollit, vrinas cit, flatus mouet, inflammationes tollit & oculorum caligines si eis admoueatur, vrinas pellit, & sternutationes irritat olfactu.

Cor & caput odoratu iuuat lætitiamque euocat. Vide etiam Mathiolum. Simeō Sethus Mathi. lib. 2. c. 135.



OCIMASTRVM.
CAP. CCCXXXIII.

OCIMASTRVM ocimo simile est, semine nigro vt nigella, flore purpureo, ramis quadratis & hirsutis, loca arenosa amat, est calid. sic. præcipuè semen.

Semen eius optimum est ad viperarum morsus & dolores ischiadicos. Diosc.

Idem semen desiccat & aduersus vomitum valet. Galen.

Vuluæ vomicis prodest & contra morsus brutorum. Plin.

Stomacho nocet & prauum sanguinem generat, sed difficile digeritur. Radix sine mordicatione exiccat. Mathi.



OLEA. OLEVM. GVMMI ELEMMI.
CAP. *CCCXXXIV.*

OLEÆ folia adstringunt, Epinyctides curant, carbunculos, erysipelata ac vlcera sordida. oculis etiam con- Diosc. lib. 1. c. 116. 117.

fert, ambustis, aqua verò exiens à viridi olea dum vritur scabies curat, Nuclei vlcera sanant.

Mathi. lib. 1. c. 118. Gummi elemmi creditur venire ab olea Æthiopica, sed falsum est, venit enim ex alia planta orientali. valet ad capitis ictus.

Amurca olei admota cuti villosæ curat hydropem, vlcera ani, matricis, & mentulæ interna seu carnositates, iniectione. dolori dentium etiam & vulneribus prodest.

Ex oleo cum vino simul coctis fit balsamum Christi dictum, ad vulnera præclarum, cui quidam saccharum addunt. vide de oleo Dioscoridem. Diosc. lib. 1. cap. 28.



MAIORANA.
CAP. CCCXXXV.

Renod. l. 1. c. 4. mat. med. VALET ex Galeno ad inflammationes corporis & stomacho ac hypochondriis calidis admouetur, iecoris calori & sanguinis etiam confert, appetitum iuuat, putredini resistit. Vide Dioscoridem. Diosc. l. 5. c. 6.



OPHRIS.

Cap. CCCXXXVI.

OPHRIS ſeu bifolium, habet folia inſtar plantaginis vel ellebori albi, ſed bina tantum oppoſita, florem ſatyrii, & radicem palmatam. amat montes eſt que calid. ſic. & adſtringit, vulnera & rupturas glutinat. Fuchſius

Capillos denigrat & vulnera curat. fracturaſque ſolidat. Mathi. lib. 4. c. 146.



ORIGANVM.

Cap. CCCXXXVII.

ORIGANVM dicitur, quod montes amet, Gallicè, *Mariolaine baſtarde.* tragoriganum minus eſt; ſerpillum ſylueſtre æmulatur, fruteſcit, odoratum eſt. calefacit & exiccat, tertio gradu.

Decoctum eius cum vino potum prodeſt morſibus venenatis, & aliis venenis, cum ficubus manſum prodeſt rupturæ, conuulſis & hydropi, purgat atros humores, cum melle tuſſi medetur. Decoctum illius minuit præterea icte- Dioſc. l. 3. c. 29. 30.

rum scabies, tonsillas, & vlcera oris ac columellæ, in nares inditum cerebrum purgat, cum lacte valet ad aurium dolores, serpentes fugat, vrinam mouet, menses ducit, ructum compescit, œdemata discutit cum polenta, lienem leuat.

Galen. l. 8. de simpl. Incidit, extenuat & calefacit ac parumper adstringit.

Mathi. lib. 3. cap. 28. Incidit, subtiliat & calefacit tertio gradu.



ORNITHOGALVM.

CAP. CCCXXXVIII.

Diosc. lib. 2. c. 130. ORNITHOGALVM habet caulem paruum album, florem viridem subalbum, & radicem bulbosam.

Mathi. lid. 2. c. 138. Decoctum eius radicis prodest pectori, tussi, vrinæ ardori, dysenteriæ; est calid. humid. ventos gignit.



OROBANCHE.

CAP. CCCXXXIX.

Diosc. lib. 2. c. 128. OROBANCHE seu erui-angina, sic dicitur quod necet legumina. Editur vt asparagus, cruda & cocta.

Est frigida sicca primo gradu, Est que caulis rubescens tener & pinguis, sine foliis. Mathi.



OROBVS. ERVVM.


CAP. CCCXL.

OROBVS seu eruum, Gallice, *ers*, est legumen, desiccans secundo gradu & calefaciens primo. vlcera cum melle purgat & lentigines, ac cutis asperitates & maculas. nomas & gangrenas cohibet, duritiesque mammarum; vlcera, carbunculos, fauosque rumpit, morsus animalium sanat; cum aceto, difficultates vrinæ, tormina & tenesmos lenit, sed si edatur sanguinem per vrinas educit. Diosc. lib. 2. cap. 97.

Obstructiones tollit, & cum melle thoracem purgat. Galen.

Crassos humores a pulmonibus eiicit eius farina, incidit. Mathi. lib. 2. c. 102.

Præterea, deobstruit & abstergit.



ORYZA.

CAP. CCCXLI.

ORYZA nutrit mediocriter, sed aluum retinet. Diosc. lib. 2. cap. 83.

Mathi. & Gal. l. 8. de simpl. & 1. de alim.

Ad cataplasmata repercutientia perutilis est eius farina, sperma auget & in clystere dysenteriam impedit, mammarum inflammationi, diarrheæ & cœliacis vtilis est. Vide Mathiolum & Galenum.




OVA.

CAP. CCCXLII.

Mathi. lib. 2. cap. 44. Galen. lib. 11. simpl. Diosc.

OVA valde nutriunt, & sperma augent.

Ceratis adduntur ad inflammationes, cocta cum aceto alui fluxum sistunt, valent ad palpebrarum aurium inflammationes. Luteum valet ad oculorum dolores & ad inflammationes ani, eiusque rugas tumidas. Albumen refrigerat & oculorum inflammationes mitigat, si eis instilletur, ambustis etiam prodest, fronti admotum fluxiones sistit oculorum, hæmoproï, ac renum vlceribus confert.



PÆONIA.

CAP. CCCXLIII.

Fuchsius.

PÆONIA ab inuentore vel regione eiusdem nominis, dicitur & her-

ba casta, Græcè, παιόνια & glycysida, quod semina vt grana mali punici habeat. Gallicè *pivoine*, & *rose nostre Dame*. Est mas vel fœmina, in montibus & hortis reperitur. Radix eius leniter adstringit & exiccat. Radix pæoniæ datur mulieribus à partu non purgatis & menses cit, pota amigdalæ magnitudine cum vino medetur ventris dolori, regio morbo & renum ac vesicæ doloribus, cocta & epota, aluum sistit. Valet etiam ad ephialtes & vteri strangulationes. Diosc. lib. 3. c. 142.

Expurgat iecur obstructum & renes, morbum comitialem tollit, imò collo suspensa radix, & ad tonsillas, &c. vtiliter admouetur quia valdè exiccat. Galen. lib. 6. simpl.

Leuiter adstringit, menstrua mouet, deobstruit iecur & renes, aluum sistit. Collo vtiliter suspenditur ad epilepsiam, vt vidi. Mathi. lib. 3. c. 140.



PALMA.

CAP. *CCCXLIV.*

PALMA est arbor Arabica & Ægyptia, cuius fructus dactyli vocantur, qui adstringunt, menstrua sistunt & hæmorrhoides, vulnera consolidant hæ- Diosc. lib. 1. c. 122.

moptoï profunt, afperitati gutturis & veficæ morbis.

Mathi. lib. 1. c. 125. Eft arbor procera, & fquammofa, cuius rami tantum in faftigio funt, foliis longis & incuruis inftar gladiorum, è quibus multi flores pendent, exeuntes quafi ex filiqua, vnde fructus dactyli dicti (à figura digitorum) oriuntur, arbor hæc habet cerebrum adftringens, id eft, medullam quandam in fummitate trunci; vlceribus confert & iuncturis debilibus, omnes palmæ partes ficcant & adftringunt.

Tamarindi funt etiam fpecies palmæ.



PALMA CHRISTI, RICINVS. CAP. *CCCXLV.*

PALMA Chrifti, & pentedactylum ob figuram manus in foliis dicitur, vt & croton & ricinus quia femen eius ricinis fimile eft, aliter, cicus, gramen regium Kerua & à nonnullis cataputia ob feminis fimilitudinem, Gallicè, *Paume Dieu*, Truncum habet concauum, hominis proceritatem attingit, in hortis colitur.

Diofc. lib. 4. c. 143. Grana eius bilem & aquas purgant,

folia cum polenta trita, œdemata & oculorum inflammationes curant, mammasque turgentes reprimunt, cum aceto igni sacro conueniunt.

Semen eius purgat, abstergit, digerit, laxat & resoluit. Gal. l. 7. simp.

Semen illius, vomitu phlegma euacuat, ex Mesuë, sed molestè, bilem etiam expellit & aquas hydropicorum, ac in alias iuncturas iruentes, in clystere dolorem colicum tollit, vlcera curat, scabiem capitis, inflammationem ani & obstructiones matricis. Mathi. lib. 4. c. 158. Mesuë.



PANAX OPPOPONAX.
CAP. CCCXLVI.

PANAX est planta cuius variæ sunt species; ex panace heracleo exit succus dictus oppoponax. in Bæotia reperitur, folia eius ficum referunt flos luteus est. menstrua elicit, fœtum necat, ventos matricis expellit, podagræ, dolori dentium & vlceribus antiquis confert. Diosc. l. 3. c. 46. 47. 48. 49.

Panax asclepius habet folia fœniculi, & florem aureum, Chironius vero habet folia majoranæ & florem etiam aureum. Nomina sumpserunt ab Hercule,

Chirone & Asclepio. venenis serpen-pentum resistunt.

Galen. lib. 8. simpl. Oppoponax est calid. tertio gradu & sic. secundo. calefacit, & desiccat.

Mathi. lib. 3. cap. 50. Panaces prosunt tumoribus, neruorum & cerebri morbis frigidis, phlegma eliciunt, vlcera curant.

Ligusticum est etiam panacis species, & easdem habet vires. vt & pastinaca. de oppoponace, vide Renodeum.

Renodæus l. 1. mat. med. sect. 7. cap. 11.

PANICVM.

CAP. *CCCXLVII.*

PANICVM à Paniculis dictum, est milii species, Græcè Elymnis dicta. refrigerat & exiccat.

Diosc. lib. 2. cap. 86. Plin. Mathi. lib. 2. cap. 91. Adstringit aluum, dysenteriæ etiam prodest ex Plinio, cũ lacte caprino alui fluxum sistit & ad tormina confert, vires milii præterea habet de eo. vide Mathiol.

PAPAVER, ALBVM, NIGRVM, CORNICVLATVM. ET OPIVM.

CAP. CCCXLVIII.

PAPAVER dicitur Græcè, mecon, quòd non ministrari debeat. Est

album vel nigrum, dictum à colore seminis, in hortis seritur. Refrigerat quarto gradu. Folia eius, fotu suo capitis somnum accersunt, ad vigilias exhibentur, igni sacro & inflammationibus admouentur, fluxiones arteriæ & tussim minuunt, humores incrassant, ad aurium dolores cum oleo amygdal. infunduntur, ad dolorem vero oculorum cum oui alumine & croco, ad vulnerum dolores cum aceto, & ad dol. podagræ cum lacte. Dioſc. lib. 4. c. 55. 57.

Album nigro præstat & minus nocet. Ad distillationes capitis valet. Galen.

Nigrum maiori dosi quam decet sumptum necat. Plin.

Alui fluxum sistit, semenque auget. Simeō Sethus

Papauer, corniculatum à figura fructus dictum, valet ad nubeculas oculorum, crassasque vrinas, si eius radix cocta bibatur, vt & ad ischiadicum dolorem & iecinoris affectus ex Dioscoride, abstergit verò & incidit ex Galeno, ac vlcera mundat sordida. Fuchsius. c. Dioſc. lib. 4. cap. 56. Galen.

Folia eius cum melle carbunculis medentur. Plin.

Albi semen somnum, grate prouocat, semen nigri in collyriis visui nocet, ex Galeno. Math. l. 4. c. 60. Gal. l. 2. de cōp. remed. secund locos.

Opium est papaueris ſuccus, ſomnum valdè prouocans & dolores ſtupefaciens, cuius doſis eſt ad grana tria.



PAPAVER RHEAS.
CAP. CCCXLIX.

PAPAVER Erraticum, vel Rheas, dicitur, quod facilè eius folia ad terram defluant, Gallicè, *Coquelicoc & ponceau* à colore puniceo, inter ſegetes naſcitur, refrigerat, ſomnum inducit, ſi quinque aut ſex eius capitula cum vino cocta ſumantur; folia inflammationes tollunt, ſemen aluum ducit.

Dioſc. lib. 4. cap. 54.

Galen. Cum melle non nocet. Semen eius magis refrigerat quam folia. Sacro igni medetur, menſes ſiſtit, hæmorrhagias narium iecori impoſitum ſiſtit, ardorem faucium ſanat, phrenitidi confert & doloribus oculorum

Mathi. l. 4. c. 59. 60. Eius aqua ad pleuritidem propinatur & ad variolas. Per inferiora purgat.



PARIETARIA.
CAP. CCCL.

Galen. PARIETARIA, vel muralis ſic dicitur quod parietibus adhæreat, vrceolaris

vrceolaris verò vocatur,quod apta ſit ad vrceos mundandos, helxine a ſemine ſuo hirſuto,veſtibus adhærente. Et perdicium quod à perdicibus ametur. Habet caules ſubrubentes, folia mercurialis, abſtergit & conſtringit.

Folia eius refrigerant, illita ſacros ignes curant, vt & panos, condylomata, œdemata & inflammationes, cum ceruſſa inungitur podagræ, hauſta tuſſes longas leuat, ad tonſillas inflammatas gargariſmate vtilis eſt & ſuccus infuſus cum roſaceo aurium dolori prodeſt. Dioſc. lib. 4. cap. 31. & 74.

Phygethlis cataplaſmatis formâ conuenit, ad pariſthmia verò gargariſmate. Galen. lib. 6. ſimpl.

Alopecias & impetigines tollit, ſæpè illita verò hæmorrhoides aperit. Fiſtulis medetur & ſinus cohibet cum ſale trita & impoſita. Valet ad calculoſos & ad vrinas ciendas. Aëtius

Admota curat optimè vulnera recentia, ſuccus eius vrinas mire prouocat, extra calculo & dyſuriæ admouetur vtiliter. Dolores ventris & matricis mitigat. Abſtergit & modicè adſtringit ac curat phlegmones. Mathi. lib. 4. cap. 81.



PARONYCHIA.

Cap. CCCLI.

PARONYCHIA est plantula sic dicta quod morbum eiusdem nominis curet, Muris innascitur. & peplo non absimilis est, tumores vnguium Paronychias dictos sanat.

Diosc. lib.4. cap.44. Mathi. lib.4. c.49.

Desiccat sine dolore, est calida & sicca tertio gradu, habet rutæ folia.



PASTINACA.

Cap. *CCCLII.*

PASTINACA, aliter staphylinus. Gallicé, *Carotes*, *panets*, *pastenades*, à pascendo vel pastu. corpus calefacit & abstergit.

Mathi. lib.3.c. 51.

Semen eius potum menses ducit, vrinasque; valet ad hydropem, pleuritidem, morsus, ictusque venenatos, conceptum iuuat, venerem stimulat, vlcera depascentia purgat.

Galen. lib. 8. simpl. Mathi. lib. 3. cap.53.

Pastinaca syluestris præstat domesticâ, radix & semen, menses & vrinas cient.

Abstergit & mundat vulnera phagedænica.



PECTEN VENERIS.

Cap. CCCLIII.

PECTEN veneris seu scandix, fœniculum æmulatur, flore luteo & albo reperitur in triticis, est calid. sicc. secundo gradu, vrinas mouet & deobstruit. Mathi. lib. 2. c. 132. & Gal. l. 8. de simpl.

Decoctum eius confert stomacho, alno, vesicæ, renibus & iecori. Diosc. lib. 2. c. 124.



PERFOLIATA.

Cap. CCCLIV.

PERFOLIATA sic dicitur quod folia eius videantur à caule suo perforari, folia eius pisum referunt, flos est luteus, semen esulæ, radix fibrosa, & candida. hortos amat. adstringit modicè, calida ac sicca est. Vulnera & vlcera curat, vmbilicumque prominentem & vlceratum. Sanat etiam ramices puerorum. Fuchsius. c. 242.



PERSICARIA.
Cap. CCCLV.

Fuchsius. c. 241. PERSICARIA à folio persici malè dicta, dicitur etiam hydro-piper & piper aquaticum ob gustum acrem & quod aquas amet, Gallice, *curage*, quod podici incutiat pruritum, tactu solo, florem habet spicatum & candidum, caulem geniculatum, radicem luteam, semen purpureum & minutum, racematim dispositum. Amat loca humida & præcipuè aquas stagnantes, est calida & sicca sed non tam vt piper. Valdè adstringit. Vulnera curat & fistulas vt & dysenteriam.

Diosc. lib. 2. c. 147. Folia eius œdemata & durities veteres discutiunt, & sugillata, delent.

Galen. Ad cataplasmata emollientia vtilis est,

Mathi. lib. 2. c. 155. Succus eius vermes aurium necat, admotus tollit omnes liuores percussionum & duritiès tumorum.



PES ANSERINVS.
Cap. CCCLVI.

Fuchsius. c. 252. PES Anseris, Gallice, *pied de iars*, habet folia halicacabi sed laciniata

vt vitis, florem racematum exiguum & rubentem. In hortis reperitur. Refrigerat secundo gradu, sues necat, vires solani hortensis habet.



PETASITES.
CAP. CCCLVII.

PETASITES sic dicitur quod eius folia pileum referant, flores eius sunt in albo purpurei, racematim dispositi, sed sine fructu, caules habet purpureos & concauos. Amat prata & riuos, desiccat tertio gradu. Fuchsius. c. 248.

Valet ad vulnera phagedænica. Idemque aiunt Galenus & Paulus. Diosc. lib. 4. cap. 92.

Radix confert febribus pestilentibus, suffocationi vteri, vulneribus. Præterea vrinam ac menses cit. Vide Mathiolum. Galen. Paulus Mathi. lib. 4. c. 203.



PETROSELINVM.
CAP. CCCLVIII.

PETROSELINVM vel selinum, quasi lunare & saxatile, Gallice, *persil*, est calidum secundo gradu, & siccum tertio. Diosc. l. 3. c. 66. 67. 68.

Inflammationes oculorum cum pane


illitum tollit, mammas duras emollit, vrinas mouet, venenis resistit. aluum cohibet, inflationes discutit, dolores leuat & tussi medetur.

Galen. lib. 8. simpl. Menses cit, & stomacho placet, at semen melius est.

Plin. Dolores lumborum mitigat & calculos frangit.

Simeō Sethus Mulieres ad rem veneream promptiores facit, nocet epilepticis. Vsu eius prauus corporis odor fugatur.

Math. l 3. c.64. Vrinas mouet & ventos consumit.



PEVCEDANVM.
CAP. CCCLIX.

PEVCEDANVM, seu cauda porci, vel fœniculum porcinum, è radice exudat aliquid thuri simile, vnde, peuce & pinastellum dictum est. Amat montes & loca vmbrosa ac opaca. Calefacit secundo gradu & siccat tertio.

Diosc. lib. 3. c. 80. Prodest lethargicis, phreniticis, vertiginosis, epilepticis, capitis doloribus antiquis, & ischiadicis, conuulsioni, spasmo, neruorum morbis, suffocationi vteri, aurium dolori, à dentibus erosis, tussi, asthmati, lieni tumenti ac inflatio-

nibus. Vlcera purgat ſordida, & oſſium ſquammas infixas extrahit.

Incidit & extenuat, lienes emollit, vlcera curat, humores craſſos extenuat. Galen. lib.8. ſimpl.

Incidit ſubtiliat, & lienem induratum emollit. Mathi. lib. 3. c. 76.



PHALANGIVM.

CAP. *CCCLX.*

PHALANGIVM, eſt planta, flore albo vt lilium ſed inciſo, ſemine nigro, cuius omnes partes valent aduerſus ſcorpionum & phalangiorum venenum, vnde nomen accepit. Alui tormina etiam curat. Idemque ait Galenus. Dioſc. lib.3. c. 110. Galen. lib. 8. ſimpl.

Mathiolus de illa etiam agit. Mathi. lib.3. c. 105.



PHASEOLVS.

CAP. *CCCLXI.*

PHASEOLVS ſeu ſmilax hortenſis, aliter dolichus, & lobus quod cum ſiliquis edatur. Eſt calidus & humidus primo gradu. Dioſ.l. 2. c.96. & 132.

Vrinam pellit & praua ſomnia inducit. Menſes etiam mouet. S.sethi

Si triti admoueantur, equorum mor- Math.l 2. c.101.


ſus curant, phaſeoli picti, ſeu Turcici, eaſdem vires habent.



PHILYREA.

CAP. CCCLXII.

Dioſc. lib. 1. c. 104. PHILYREA eſt arbor, liguſtri magnitudine, folio oleæ, fructu lentiſci, nigro, racemoſo, ſubdu'ci, loca aſpera amans, cuius folia adſtringunt & aphthis conueniunt, pota vero menſtrua & vrinas prouocant.



PHYLLON.

CAP. *CCCLXIII.*

Dioſc. lib. 3. c. 127. PHYLLON habet folia oleæ, eſtque mas & fœmina fructu, racemoſo, aiunt marem efficere vt mares filios & fœminam fœminas generent. Vide Mathiolum. Mathi. lib. 3. c. 123.



PILOSELLA.

CAP. CCCLXIV.

Fuchſius. c. 230. PILOSELLA, Gallice, *veluëte ou peluëte*, eſt maior & minor, foliis re-

pentibus, & pilosis, flore luteo, prata amat, est calida & sicca, vulnera mirè glutinat & purificat. Succus eius valet ad quartanam, radix eius sicca propinatur vt optimum remedium ad hernias.

Adstringit, dysenteriam curat & fluxus matricis, vulnera solidat, confert, cœliacæ passioni, vomitui, choleræ hæmoptoï, rupturis & fracturis, iecoris lienisque morbis, hydropi, ictero, & vlceribus corrosiuis, imò oris & pudendorũ. Mathi. lib. 4. c. 10.



PIMPINELLA.
CAP. CCCLXV.

PIMPINELLA quasi bipennula vel pampinula, est maior & minor, calida & sicca secundo gradu. Succus eius, epotus valet ad morsus serpentum, & alia venenà, vt & ad calculum ac stranguriam, oculorumque caligines. Fuchsius. c. 231.

Valet ad dol. renum & vesicæ à calculo, succus ad venena & morsus venenatos, adstringit, vomitum sistit, dysenteriam & alui fluxus. Mathi. lib. 4. cap. 45.

Semen eius resoluit & attrahit, calculum frangit, & menstrua prouocat. Galen. lib. 8. simpl.



PINVS.

Cap. CCCLXVI.

Mathi. lib. 1. c. 74. Galen. Auicenna. PINEI nuclei multum nutriunt, sed difficilè digeruntur ex Galeno, & Auicenna, maturant, leniunt, resoluunt, pinguefaciunt, pulmoni etiam ac tussi conferunt, sperma augent & luxuriam prouocant, renes & vesicam mundant ab vlceribus præseruant, & dysuriam tollunt; vide plura apud Dioscoridem.

Diosc. l. 1. c. 71. 74. Cortex pini adstringit, vlceribus confert, vrinas fœtusque suffumigio educit inflammationes & ambusta mitigat, dolores dentium tollit, nuces vero pineæ vrinæ ardorem tollunt & oculis lachrymantibus conferunt.

Nuclei pinei Indici violenter purgant.



PIPER INDICVM ET SILIQVASTRVM.

Cap. CCCLXVII.

Diosc. lib. 2. c. 145. PIPER Indicum, triplex est, longum, nigrum & album, racematim proueniunt, vrinas mouent, digestionē iuuant,

attrahunt, resoluunt, oculorum caligines tollunt, rigores febrium auferunt ante accessus carũ epota, conceptum etiam tollunt pessario indita, tussi conferunt & pectoris morbis cum melle, morsibus serpentum prosunt, fœtum expellunt, cum pice scrophulas resoluunt, tormina alui & anginas epota tollunt. Est alia planta cuius fructus piperis locum tenet inter rusticos, dicta siliquastrum & piperitis, Gallicè, *Guinée*, à regione in qua prouenit. hæc habet fructum rubrum, Fuchsius. oblongum, habet folium laurinum, caulem rubrum, florem, album, multæque sunt eius species, calefacit valdè & desiccat, vires habet piperis vulgaris & pro eo à multis sumitur.



PIPERITIS.

CAP. CCCLXVIII.

PIPERITIS est planta à piperis acrimoniâ sic dicta, aliter lepidium quod faciei squammas detergat, Gallicè *Passe-rage*, à gustu acri, cardamantice etiam dicitur & cardamum syluestre, vt & nasturtium agreste, & iberis.

Est herba cubitalis folio, laurino sed


maiori & inciſo, radice raphani, amat hortos & calefacit ac exiccat, quarto gradu, eſt etiam ſylueſtre loca inculta & itinera amans, naſturtii caule.

Dioſc. lib. 2. c. 159. Adurit ac vlcerat, vtilis eſt ad dolorem coxendicis vel iſchiadicum cum adipe ſuillo ſalſo, eumque ſtatim tollit, ſi ei admoueatur. Confert etiam lienoſis, lepræ & dentium dolori.

Galen. Vires eaſdem ac naſturtium poſſidet.

Plin. rheumatiſmos omnes ſanat occultos; epiphoras etiam ſi eis imponatur curat.

Mathi. l. 1. c. vlt. & l. 2. c. 170. Phthiriaſi præterea medetur. Vide Mathiolum.



PISTACIA.


CAP. CCCLXIX.

Dioſc. lib. 1. c. 137. PISTACIA ſunt magni pinei nuclei, in Syria proueniunt, ſtomacho & ſerpentum morſibus epota vel comeſa conueniunt.

Mathi. lib. 1. c. 140. Eſt arbuſcula therebintho ſimilis quæ racematim fructus edit.

Galen. l. 2. de alim. Vomitum impediunt, iecoris etiam obſtructionibus conferunt.

Auic. Calefaciunt & impelluntad res venereas.



PISVM.
Cap. CCCLXX.

PISVM à Pisa vrbe nomen habet, refrigerat & exiccat.

Vires fabæ habet sed non adeo inflat & abstergit. Florum eius & siliquarum aqua & sal ad calculum mirè conferunt. Galen.

Exiccant sed minus quam fabæ. Mathi. lib. 2. c. 101.



PIX.
Cap. CCCLXXI.

PIX à picea arbore igne exprimitur, venena, phthises & asthmata curat si deglutiatur, inuncta vero tonsillas & inflammationes gutturis anginasque sanat, scrophulas rumpit, vlcera corrosiua replet & ad cicatrices deducit, carbunculos rumpit. Vide Mathiolum. Diosc. l. 1. c. 75. 78. Mathi. lib. 1. cap. 76.



PLANTAGO.
Cap. CCCLXXII.

PLANTAGO, Græcè, ἀρνόγλωσσοι, id est, lingua agni dicitur, & poly Fuchsius. c. 11. 12.

neuron à neruorum copiâ, eſt & plantago aquatica quæ vocatur etiam damaſonium & aliſma. Gallicè, *plantain.*

Plantago habet folia vt beta, ſed eſt ſpecies anguſtior dicta quinqueneruia quod quinque neruos tantum habeat, caules profert anguloſos & cubitales vel minus, ſpicatos ſed ſine barba, cum ſemine tenui. Amat ſepes aggeres & foſſas, ſpecies eius ſunt marina, roſea, lanceola, &c. Refrigerat & deſiccat, ſecundo gradu.

Dioſc. lib.2. c. 112. Valet ad omnia vlcera maligna & ſordida, hæmorrhagias ſiſtit, herpetes & carbunculos curat, fiſtulas glutinat ambuſta & morſus canum ſanat, inflammationes tollit, ſtrumas & ægylopas cum ſale diſſoluit, dyſenterias & fluxus cœliacos, ſi cum ſale & aceto edatur curat, vſus eius in cibis prodeſt leucophlegmatiæ, comitiali morbo & aſthmati, ſuccus oris vlcera collutione curat, cum ceruſſa ignem ſacrum, inſtillatus, aurium dolores & lippitudines ſanat, ad hæmoptoin collutione aptus eſt.

Galen. Ad vlcera & omnes alui fluxus confert, radix manſa vel in gargariſmate dolores dentium mitigat, & iecinoris ac renum obſtructiones aperit, & adhuc

melius semen vel folia quam radix.

Semen tritum & aqua foliorum ad fugandos vermes, si ad vnciam bibantur optimum sunt remedium.

ALISMA.

EIVS radix ad drachmam epota opio resistit, torminibus, dysenteriæ, aliisque fluxibus, suffocationi vteri; conuulsionem & œdemata lenit illita, menses etiam ducit. Diosc. lib. 3. c. 15.

Decoctum eius renum calculos vt ipse expertus sum minuit. Galen.

Adstringit, incrassat, & mundificat, ideo alui fluxus sistit, & erysipelata ac inflammationes mitigat. Renod. l. 1. c. 8. de mat. medic.

Foliis eius tusis, ani rhagades, fici, aliaqua mala similia curantur, item ad membra contusa & loco mota, valet, hæmorrhoides & fissuras curat, cum oleo rosaceo ad dolores capitis calidos adhibetur, eius aqua cum aceto sistit hæmorrhagias narium, si volis manuum & pedum applicetur. Mathi. lib. 2. c. 119.



PLATANVS.

CAP. *CCCLXXIII.*

PLATANVS est arbor procera & frondosa, folio lato, cuius gemmæ Diosc. lib. 1. cap. 86.

oculorum catharros ſiſtunt, corticis decoctum verò dol dentium, fructus morſus ſerpentum & ambuſta curat.

Mathi. lib. 1. c. 91. Phlegmonibus incipientibus folia proſunt, cortex vlceribus vetuſtis & lepræ.



PLVMBVM.

CAP. CCCLXXIV.

Renod. lib 2. de mat medic. ſect. 3. cap. 4. Galen. PLVMBVM refrigerat & deſiccat, & ex Galeno valet ad vlcera omnia. Ex eo fit ceruſſa quâ ad innumera vtimur, vt ex eius capitulo repetere poteris.



POLIVM.

CAP. *CCCLXXV.*

POLIVM habet foliola oblonga denticulata & cana, cum paruis capitulis floridis inſtar thymi, ſed ſubalbis, cataractis admouetur, deobſtruit, vulnera curat, menſtrua vrinaſque ciet.

Dioſc. lib. 3. c. 112. Eſt herbula montana lanuginoſa quæ valet ad morſus ſerpentum, hydropem, icterum & lienis morbos, ſtomachum præterea lædit, ventrem laxat, menſtrua prouocat

prouocat & vulnera solidat. vide Galenum. Gal. l. 8. simp.



POLYPODIVM.
Cap. CCCLXXVI.


POLYPODIVM, dicitur quod multas radices vt pedes habeat, ab aliis filicula nuncupatur à figura filicis, petras & muscosa loca amat, arboribusque vetustis & muscosis innascitur, quercinum cæteris anteponitur. desiccantis est temperiei.

Bilem & pituitam purgat, eius radix trita & illita, luxatis confert & fissuris digitorum. Diosc. lib. 4. c. 164.

Polypum narium curat. Plin.

Phlegma euacuat, bilemque atram & flauam. Ex Auerroë est medicamentum innoxium. Præscribitur ad scrupulos sex, aluumque sine incommodo laxat. Mathi. lib. 4. c. 180. Auerroës.

Multum desiccat & attenuat. Galen. lib. 8. simpl.



POLYTRICHVM.
Cap. CCCLXXVII.

POLYTRICHVM, trichomanes & capillaris, idem sunt, quæ nomina

T

obtinuit quia capillos auget vel quia nerui eius capillorum figuram habent; amat loca vmbrosa, deficcat, extenuat & digerit.

Diosc. lib. 4. c. 119. Habet vires Adianti, eius decoctum epotum prodest asthmati, lienosis, ictero, vrinæ difficultati, calculos frangit, aluum sistit, morsibus venenatis confert, menses & secundinas educit, sanguinis reiectionem sedat, alopecias explet, strumas tollit, furfures & achores aufert, capillos retinet.

Galen. lib. 8. simpl. Abscessus discutit, viscosas pectoris excreationes curat. Vide Mathiolum. Mathi. lib. 4. c. 131. Vide Adiantum.

POLYTRICHVM APVLEI.

Fuchsius. c. 306. EST species musci, maius & minus reperitur. Capillos firmat, alopeciæ confert, calculos frangit, vrinas cit, ictero & lienosis vtile est, strumas discutit, & vires reliquas Adianti possidet.



POPVLVS.

CAP. CCCLXXVIII.

Diosc. l. 1. c. 88. 91. POPVLVS est arbor littoralis, cuius cortex epotus ischiadicos leuat dolores ac dysuriam, sterilitatem

mulieribus inducit, ſuccus auribus inſtillatus dolorem dentium tollit, gemmæ eius admotæ viſus debilitatem curant, folia vero podagræ conferunt. Eius radix in emplaſtris emollientibus vſurpatur.

PORRVM.

CAP. CCCLXXIX.

PORRVM ex Galeno calefacit extenuat, ac glutinoſos humores incidit. Galen.

Inflat & ſomnia mala inducit, vrinas & menſes cit, oculis nocet, veſicam & renes vlcerat, expectorat, venerem ſtimulat, ſanguinem ſiſtit ſuccus eius cum aceto, morſibus brutorum vtilis eſt, varos tollit. Dioſc. lib. 2. c. 135.

Semen eius prodeſt vrinæ difficultati, & folia cocta hæmorrhoidibus tumidis ac dolentibus, vt & morbis pectoris ac aſperæ arteriæ, capita eorum aduerſus fungorum venenum valent, in oleo vero cocta, oleum illud ad vlcera aurium inſtillatur. Mathi. lib. 2. c. 143.




PORTVLACA.
Cap. CCCLXXX.

PORTVLACA, Græcè, andrachne, Gallicè, *Pourpier* quaſi *poulepié*, *pourchaine*, *pourcelaine*, Quod à porcis diligatur. Eſt frigida tertio gradu & humida ſecundo.

Dioſc. lib. 2. c. 110. Adſtringit & cum polenta capiti dolenti admouetur, oculis inflammatis, ſtomachi ardoribus & veſicæ doloribus adhibetur; eryſipelata curat, manſa dentium ſtuporem tollit, renes eroſos & veſicam, iuuat, veneris impetus ſedat. Succus eius ad febres valet, vt & ad lumbricos, dyſenteriam, hæmoptoin, hæmorrhoides; cum roſaceo alui fluxus & dolores capitis ſedat, vulnera ad ſyderationem tendentia ſanat.

Galen. Fluxiones calidas & bilioſas reprimit, æſtus febrium & hecticos iuuat, ſi lumbis imponatur.

Plin. Manſa, vlcera oris & puſtulas ſedat, vt & dolorem dentium, ſitim arcet, vocem firmat, epota prodeſt teneſmis & dyſenteriæ, renes & veſicam iuuat, cum oleo dolores vulnerum tollit & venerea inſomnia, ſed oculos hebetare creditur.



POTAMOGETON.

CAP. CCCLXXXI.

POTAMOGETON sic dicitur quod fluuiis innatet, ideo etiam vocatur fontalis, stachites verò ob spicas suas. Gallicè, *espy d'eau.* Habet folia betæ sed densiora, caulem geniculatum, florem spicatum. Folium Indum dictum seu malabathrum est eius species. Refrigerat & exiccat. Fuchsius.

Refrigerat & adstringit, valet ad pruritus, vlcera vetusta & serpentia. Diosc. lib. 4. cap. 86.

Vires habet centinodiæ. Galen.

Dysenteriæ & cœliacis confert, spissat. Ad crura vitiosa & nomas cum melle valet. Plin.

Habet vires plantaginis, adstringit & refrigerat. Mathi. lib. 4. cap. 96.



POTENTILLA.

CAP. CCCLXXXII.

POTENTILLA seu tanacetum syluestre, Gallicè, *bec doye* dicitur, quod ab anseribus diligatur. Est similis

agrimoniæ florem habet luteum. ſemitas & ripas amat, adſtringit & pentaphylli temperiem habet, vulnera recentia glutinat, dentium dolorem tollit, dyſenteriæ, oris vlceribus, ſanguinis eruptioni & lumbricis prodeſt.

Mathi. lib.4. c.37.



PRVNELLA.

Cap. CCCLXXXIII.

PRVNELLA eſt ſpecies conſolidæ quæ Gallicè dicitur, *l'herbe au charpentier*. habet caules hirſutos, ocymi folia, flores ſpicatos. in pratis naſcitur. eſt calida ſicca.

Mathi. lib.4.c. 9. Vulnera optimè curat & capitis doloribus admouetur vtiliter, ſi cum aceto & roſis, ſuccus eius miſceatur & fronti inungatur. curat etiam oris & faucium vlcera.



PRVNVS.

Cap. CCCLXXXIV.

PRVNVS, Græcè, coccimelea, eſt arbor cuius fructus Gallicè, *Prunes*, dicuntur; ſcbeſten vel myxa. eſt

etiam eius species. pruna modicè humectant & refrigerant, sed syluestria adstringunt.

Aluum molliunt; folia in gargarismate columellam, gingiuas & tonsillas à fluxione reprimunt, idem faciunt pruni syluestris fructus siccati: gummi prunorum glutinat, cum vino potum calculos conterit, & cum aceto impetigines sanat. Diosc. l. 1. c. 134.

Sebesten easdem habent vires & aluum laxant. Mathi. lib. 1. c. 137.



PSYLLIVM.
CAP. CCCLXXXV.

PSYLLIVM, pulicaris dicitur quod semen eius pulices æmuletur vel quod pulices prohibere credatur.

Est ferè coronopo simile. refrigerat secundo gradu.

Doloribus articulorum parotidibus, tuberculis, œdemat. luxatis & capitis dol. vt & enterocelis & vmbilicis prominentibus confert, erysipelata sanat, prohibet ne pulices generentur, succus eius ad aures verminosas valet. Diosc. lib. 4. c. 60.

Semen eius infusum & epotum ventrem mollit, frictum dysenteriam aliosq. Mathi. lib. 4. c. 65.

que alui fluxus curat, bilem purgat, febres ardentes tollit, sitimque magnam, gutturis & pectoris asperitates, & cum aceto admotum erysipelata, herpetes, inflammationes, &c. curat.



PVLEGIVM.
CAP. *CCCLXXXVI.*

Fuchsius. c. 73. PVLEGIVM sic dicitur, quod pulices flos eius recens incensus necet, Græcè, blechon vel glechon, quod gustatum, balatum excitet pecoribus mas est candid. Fœmina purpur. syluestre est nepeta. In fossis reperiuntur. Flos est verticillatim dispositus, folia sampsuchi habet, graue olet. Est acre & sub-amarum, quare siccat, calefacit & extenuat tertio gradu.

Diosc. lib. 3. c. 31. Coquit, epotum menses, secundinas & fœtus educit, cum melle quæ sunt circa pulmonem expectorat, conuulsis vtile est. Cum posca nauseas & morsus stomachi compescit, bilem atram per aluum educit, cum vino potum ad morsus venenatos valet, siccum gingiuas firmat, si diu eo cutis fricetur podagræ confert, lienosis illinitur, prurigines,

decoctum prurigenes tollit, & vuluæ morbis vtile est. Idemque ait Galenus. Galen.

Crassos humores expectorat, menstrua educit, est valdè calidum, vrinas fœtum & secundinas pellit, hydropi ictero & morbis omnibus capitis & neruorum à frigore prouenientibus confert, visumque clarificat. Mathi. lib. 3. c. 30.



PVLMONARIA.
CAP. CCCLXXXVII.

EST species musci lati, circa Saxa & quercus veniens, adstringit & desiccat, vulnera pulmonis recentia glutinat, prodest phlegmonibus incipientibus, muliebre profluuium & longos alui fluxus ac hæmoptoes sistit. Est species hepaticæ de qua Mathiolus agit. Fuchsius. c. 244. Mathi. lib. 4. c. 48.

Est & alia pulmonaria apud Mathiolum secunda dicta, folio lato, maculato, cuius flores & folia cum saccharo cocta mirè vlceribus pulmonum & hæmoptoï conferunt, curat & lichenas quare lichen etiam vocatur; ambæ abstergunt, desiccant & modicè refrigerant. Idem.



PVMEX.

CAP. CCCLXXXVIII.

Diosc. lib. 5. cap. 89. EST lapis leuis ob innumera sua foramina, ardens extinguitur in aceto & sic calcinatur, tunc adstringit, mundat gingiuas, oculos à rebus nocentibus præseruat, carnem generat, vlcera ad cicatricem deducit, & eorum carnes excrescentes absumit, depilat, & dentes mundat, vide Galenum & Mathiolum qui ait circa montem Æthnam reperiri. Galen. lib. 9. simpl. Mathi. lib. 5. c. 84.



PYRETHRVM.

CAP. *CCCLXXXIX.*

PYRETHRVM, quod linguam vt ignis stimulet, dicitur etiam ptarmica seu sternutamentaria, quod naso indita sternutamenta moueat, est frutex breuis, foliis oleaginis & serratis, capitulis chamæmeli, olfactu acri, montes altos & saxosa loca amat. Radix eius est calida sicca secundo gradu & ex aliis tertio.

At ex Mathiolo habet folia dauci & vmbellam anethi.

Sugillata emendat, pituitam elicit per sputum vnde saliuaris dicta est. & dentium dolori ideo confert, si eis imponatur. Sudores cit, cum oleo inuncta, & febrium rigoribus prodest, valet etiam ad partes refrigeratas & resolutas. Dioſc. lib. 3. c. 75. & l. 2. c. 148

Flos eius sternutare facit, & ecchymoses discutit. Galen. lib. 8. simpl.

Ad tremores & rigores febrium, &c. ob calorem valet. Aperit, attenuat, incidit. Mathi. lib. 3. c. 71.



PYRVS.

CAP. CCCXC.

PYRA, adstringunt & apta sunt ad cataplasmata repercutientia. Cinis ligni pyri aduersus venenum fungorum valet. Dioſc. lib. 1. c. 129.

Pyra stomacho prosunt & deficcant, syluestria verò adstringunt & fluxiones sistunt. Vide Mathiolum. Galen. lib. 5. simpl. Mathi. lib. 1. c. 132.



QVERCVS. GALLÆ. FAGVS. SVBER. ILEX.

Cap. CCCXCI.

Diosc. lib. 1. c. 118. QVERCVS, Græcè, δρῦς, Gallice *Chesne*. desiccat, adstringit & calefacit.

Decoctum putaminum glandium prodest epotum dysenteriæ & hæmoptoi, glandes idem possunt, in pesso fluores mulierum sistunt, vrinam cient, & si comedantur venenis resistunt, si vero cum adipe suillo terantur vlcera curant & inflammationes leniunt. Gallarum decoctum curat aphthas, excrescentias & fluxiones gingiuarum, nucleus earum, dentibus inditus, dolores tollit eorum, crematæ & in vino aut aceto extinctæ sanguinem reprimunt. Decoctum earum valet ad vuluæ procidentiam, maceratæ capillos denigrant, dysenteriæ & cœliacis vtiles sunt.

Galen. Omnes eius partes adstringunt. Solis quercinis foliis ingens vulnus à securi inflictum curaui, idem facit fructus valetque ad phlegmones crescentes.

Math. l. 1. c. 121. Aqua gemmarum quercus, fluxus al-

bos mulierum curat, calculum renum rumpit & iecur roborat, est etiam alexipharmacum. Aqua quæ in quercuum foraminibus residet scabies omnes & alui fluxus curat.

Glandes omnes & earum cupæ vstæ, omnibus matricis & alui fluxibus prosunt, crudæ vero admotæ inflammationes mitigant, tandem cum adipe tritæ vlcera maligna curant.

FAGVS.

FAGI cinis illita calculum renum pellit.

SVBER.

SVBERIS cinis hæmoptoï confert, & vndecumque sanguis manet sistit eum.

GALLÆ.

ILICIS gallæ contusæ oculis rubris prosunt.

Galla immatura vocatur omphacitis, omnes gallæ valde adstringunt, gingiuarum, oris & vuulæ vlcera curant, dentium dolorem tollunt, si foraminibus eorum indantur; sanguinem sistunt, dysenteriæ fluxibusque cœliacis conferunt, & desiccant. Diosc. l. 1. c. 123.

Fluxiones omnes sistunt, partes flaccidas indurant, tertio gradu desiccant & secundo refrigerant. Math.



QVINQVEFOLIVM.

Cap. CCCXCII.

QVINQVEFOLIVM seu pentaphyllum & diapensia, Gallicè, *quintefueille*, quod quinque habeat folia oblonga & denticulata, vnico pedicu-lo orbiculatim hærentia, florem habet luteum, loca inculta & aquosa amat. Adstringit & desiccat tertio gradu, ex Galen. Galeno.

Diosc. lib. 4. cap. 34. Radicis eius decoctum, dentes dolentes sedat, ad asperitates faucium, dysenteriam, alui fluxus, & dolores articulorum valet, herpetes cohibet, duritias discutit, ad abscessus, œdemata, aneurismata, erysipelata, scabies, & venena prodest. Folia eius cum pipere ad febres propinantur. Si diù verò succus bibatur, epilepsiam & icterum curat, vulnera, enterocelas, fistulas & hæmorrhagias sanat.

Mathi. lib. 4. c. 38. Rupturas & fistulas consolidat; adstringit. Noui præterea hominem qui nouem eius folia cum sale carpis imponendo ante accessum febres omnes curat.



RANVNCVLVS.
Cap. CCCXCIII.


RANVNCVLVS, à ranis dictus est omni idiomate, quod ranæ circa eum degant, Græcè, batrachium, Gallicè, *grenouillete & baßinet*, ab Apuleio, scelerata vocatur, quia scelerati eâ sibi vlcera faciunt, ab aliis pes corui, & flammula dicitur, à figura folii & quod radix eius linguam veluti adurat. Est flore luteo, folio coriandri sed latiore. Reperitur & candidus dictus Gallicè, *coqueret*. Radix ei⁹ est valdè calida & sicca. Apuleius.

Folia eius illita exulcerant, scabiem & stigmata, myrmecias, alopecias, achrochordonas, pernionesque tollunt, si eo tepidè foueantur, sternutare facit radix sicca, & dentium dolorem lenit si eis adhibeatur. Diosc. lib. 2. c. 160.

Psoras & lepras excoriat, dentes frangit, nimiâ eorum exiccatione. Galen.

Vim habet causticam. Plin.

Verrucas curat, vngues corruptos expellit, scabies sanat, dolores dentium aufert & dentes rumpit. Mathi. lib. 2. c. 171.



RAPHANVS.

CAP. CCCXCIV.

RAPHANVS, aliter radix & radicula, Gallicè, *Raue, ou refort*, calefacit tertio gradu & desiccat secundo.

Diosc. lib. 2. c. 101. Flatus gignit, stomacho nocet, ructus & vrinam cit, laxat aluum mediocriter, decoctum eius ad tussim veterem valet, ante cibum uomitum sistit, hydropi vtile est, cortex eius cum oxymelite vomitus dat, sugillata, alopecias & lentigines tollit, morsui viperæ & fungis venenatis resistit, lieni confert, menses cit, semen eius vrinas mouet, anginæ confert & gangrenis cum aceto illitum.

Galen: Discutit, & iuuat stomachi coctionem.

Nicander. Aduersus fungorum hyosciami, &c. venenum valet, vt & aduersus scorpiones, adeo vt iuxta illum moriantur, vide Mathiolum. Mathi. lib. 2. c. 106.



RESINA.

CAP. CCCXCV.

Mathi. lib. 1. c. 74. RESINA à pinis elicitur, & vulneribus vlceribusque confert, calculoque;

culoque; vrinas pellit, gonorrheam, & neruorum dolores leuat, tandemque maculas faciei detergit.



RHA-BARBARVM.
CAP. CCCXCVI.

RHA-BARBARVM, vel Rheum est lapathi cuiusdam Barbarię vel potius Chinæ radix, folio magno, & curuo, flore purp. Bonum rheum ex ruffo flauescens, amarum, compactum & ponderosum est, & si mandatur sputum croceo colore tingit. Morel. de mat. medic. Mathi. l. 3. c. 2.

Est calidum siccum secundo gradu. Cinnamomo corrigitur. Dosis eius est ad drachmam vnā in substantia, sed ad quatuor in infuso aut decocto. Exhibetur innoxiè, etiam infantibus & mulieribus grauidis. Bilem purgat & adstringit purgando, estque iecori & stomacho amicum. Vermes fugat, ac viscera roborat. Mesuë.




RHA-PONTICVM.
CAP. CCCXCVII.

EST radix Ponti inodora lenis, subrubra, vtilis si propinetur ad ventos, Diosc. l. 3. c. 2.

tormina, conuulſiones, rupturas, ſtomachi imbecillitates, morbos matricis, dolores iſchiadicos, hæmoptoin, dolores lateris, aſthma, veſicæ ac renum morbos, febres peſtilentes, morſus venenatos. adſtringit etiam & calida eſt. curat contuſiones, & ſcabies.

Galen. lib. 8. ſimpl.



RHAMNVS.

Cap. CCCXCVIII.

Dioſc. lib. 1. cap. 98. RHAMNVS eſt frutex foliis oblongis, in ſepibus proueniens, ſpinis horreſcens, fructu inſtar verticilli. cuius folia eryſipelata ac vlcera corroſiua curant.

Mathi. lib. 1. c. 102. Eius ſyrupus humores viſcoſos euacuat. ſiccat autem & reſoluit ſecundo gradu.




RHODIA RADIX.

Cap. CCCXCIX.

RHODIA radix, odorem roſæ habet & inde nomen habuit, non ab inſula Rhodo vt nonnulli crediderunt. calefacit ſecundo gradu.

Capitis dolori prodeſt, fronti admota cum roſaceo. Ex Galeno autem diſcutit, vide plura apud Mathiolum. Dioſc. lib. 4. c. 37. Galen. Mathi. lib. 4. c. 41.



RHODO-DAPHNE VEL RHODO-DENDRVM.

CAP. CCCC.

RHODO-DAPHNE ſeu laurus roſea, dicitur etiam rhodo-dendrum, id eſt, arbor roſea, nerium, & oleander à figura foliorum, Gallicè, *roſage*, quod flores roſæ ſimiles proferat. Calefacit tertio gradu & deſiccat ſecundo. Folia eius quadrupedes necant. Dioſc. lib. 4. c. 70.

Extrinſecus ſi admoueatur, diſcutit, ſi intus, toxicum eſt. Gal. l. 8. ſimp.

Morſibus ſerpentum confert ex Dioſc. ſed non ex Galeno. Mathi. lib. 4. c. 77.



RIBES.

CAP. CCCCI.

FOLIA & fructus plantæ ribes vocatæ valdè adſtringunt. ſunt frig. ſic. ſecundo gradu. Fuchſius. c. 256.

Aluum ſiſtunt, vomitum cohibent,

stomachum firmant, sanguinis feruorem demulcent, erosiones & vellicationes eius tollunt, bilis ardorem domant, appetitum cient, sitim restingunt, febribus
Mathi. lib. 1. c. 105. conueniunt, fastidia tollunt. Vide Mathiolum.



ROSA.

CAP. *CCCCII.*

ROSA, Græcè, ῥόδον, quod effluat in odorem, adstringit & exiccat, præcipuè rubra.

Diosc. lib. 1. c. 109. Refrigerat, decoctum eius cum vino, illitum valet ad capitis, oculorum, aurium, gingiuarum, sedis, intestini recti ac vuluæ dolores; rosæ contusæ & illitæ ad inflammationes præcordiorum, stomachi & sacros ignes valent, flos mediæ rosæ ad gingiuarum fluxiones inspergitur; capita earum epota aluum & hæmoptoin sistunt. Fructus cynorrhodi & spongiæ rosæ, *bedegar*, dictæ, mirificè calculo prosunt & vrinæ difficultati, frontale vero rosarum rubrarum vel aliarum siccarum cum aceti momento vel aquæ rosaceæ, dolorem capitis mitigat.

Mathi. lib. 1. c. 112. Folia eius, cor, iecur & stomachum ro-

borant inflammationesque tollunt, fructus vero adstringunt, alui fluxum, hæmoptoin, gonorrheam, &c. retinent.



ROSMARINVS.

CAP. *CCCCIII.*

ROSMARINVS vel libanotis coronaria, ob thuris odorem dicta, est calid. sic. abstergit & incidit, icterum curat, & medicamentis acopis miscetur. Galen. lib. 7. simpl. Diosc. lib. 3. c. 76. 77.

Suffitu tussim & distillationem tollit, si crementur pestem arcet, cerebrum, sensus interiores, memoriam & cor roborat; tremori ac resolutioni partium succurrit, loquelam amissam restituit.

Frigidis morbis stomachi & vomitui confert omnibusque morbis frigidis, paralysi, lethargo, epilepsiæ, cerebri defluxioni, spleniticis, & hepaticis, dentium fluxiones sistit. Cordis passionibus frigidis, morbis pectoris & pesti prodest. Succus eius visum acuit & icterum curat. Mathi. lib. 3. c. 73.



RVBIA.

CAP. CCCCIV.

RVBIA, tinctorum, vel erythrodanum, Gallicè *garance*, nomina

desumit à radice rubra qua lanæ tinguntur. Habet caules quadrangulos & folia stellatim disposita, floremque candidum. calida est secundo & sicca tertio gradu.

Diosc. lib. 3. c. 145. Radix eius vrinas ciet, ideoque icterum tollit si cum aqua mulsa deglutiatur, doloribus ischiadicis prodest & resolutis, eiusque succus aduersus venenatos morsus vti'is est. Semen eius cum oxymelite potum, lienem minuit, imò absumit, radix vero admota, fœtus, secundinas & menses trahit, vitiligines albas, cum aceto illita, sanat.

Galen. l. 6. de simpl. Iecur & lienem expurgat & vrinas crassas mouet, menstrua ciet, &c. vt supra dictum.

Plin. Lichenas cum aceto curat, paraliticis epota est vtilis, aluum sistit.

Mathi. lib. 3. c. 143. Radix rubra curat icterum, vrinas euacuat, renes, iecur, & splenem mundat, radix hæc est aspera & amara gustui, menstrua cit, vitiligines cum aceto mundat.



RVBVS.
CAP. CCCCV.

RVBVS, aliter sentis, mora Vaticana & vaccinia, vel mora bacci

pro bati, chamæbatos, id eſt, paruus rubus, Græcè, βάτος. Gallicè, *ronce*.

In dumis naſcitur omnes eius partes adſtringunt & deſiccant. Decoctum eius ramorum, pilos tingit, aluum ſiſtit & menſtrua cohibet; folia manducata oris vlcera curant & gingiuas firmant, illita ſanant condylomata & eryſipelata, herpetes & achoras cohibent, trita & impoſita ſtomachi dolori ſubuenit, fructus vero ad oris & faucium morbos ſpecificè valet, flos & fructus maturus aluum ſiſtunt. Dioſc. lib. 4. c. 29. 30.

Folia comeſa vlcera oris, aliaque curant. Fructus immaturi dyſenteriam, menſtrua, hæmoptoin, &c. cohibent. Radix vero, lapidem renum comminuit. Galen.

RVBVS IDÆVS.

RVBVS Idæus, Gallicè, *framboiſier*, adſtringit, curat oris parua vlcera, vulnera ſolidat, dyſenteriam & hæmoptoin ſanat. Vide Galenum. Galen. lib. 4. c. 34. Galen. lib. 6. ſimpl.



RVTA.

CAP. CCCCVI.

RVTA, Græcè, πήγανον, à coagulando genituram, ex Plutarcho, Plutarchus.


ideoque nocet grauidis, imò si in coronis earum ponatur. Gallicè, *rue*. Est calida & sicca tertio gradu.

Diosc. l. 3. c. 44. 45. Vrinam mouet, menses ducit aluum sistit, est antidotum aduersus venena lethalia & aduersus serpentes, genituram extinguit, tormina sistit, valet ad dolorem lateris, asthma, pleuritidem, dolorem thoracis, dolorem articulorum rigores febrium; ad coli, vteri, &c. inflationes: Lumbricos pota necat, suffocationi vteri prodest, trita & apposita narium hæmorrhagiam sistit, hydropi auxiliatur, abstergit, visum acuit, testium inflammationi, variolis, auriumdolori, igni sacro, & herpeti prodest.

Galen. Crassos humores digerit & incidit, vrinas mouet, flatus discutit & venerem cohibet.

Plin. Cardiacis imponitur, suffusiones sanguinis tollit, fœtui nocet, ad sanguisugas haustas valet & pesti confert.

Mathi. lib. 3. cap. 45. Est acris & amara attenuans, incidens, digerens, resoluens, ventos prouocans & expellens fortiter.



SABINA.
CAP. CCCCVII.

SABINA, Græcè, βράθυς. Est frutex cupressum referens. calefacit & desiccat tertio gradu.

Folia eius nomas sistunt, inflammationes illita mitigant, carbunculos cum melle abstergunt, cum vino pota vrinas sanguineas efficiunt,& fœtum viuentem aut mortuum excutiunt. Diosc.l. 1. c. 83.

Vlcera purgat, igni sacro & carbunculis prodest, epota regio morbo succurrit. Plin.

Eius puluis asthmaticis datur cum melle. Succus vero ad partum facilem reddendum propinatur. Mathi. lib. 1. c. 88.



SACCHARVM.
CAP. *CCCCVIII.*

SACCHARVM est mediocriter calidum & conuenit asperitati linguæ & tracheæ arteriæ, pulmoni, & tussi; expectorationem iuuat. Nocet dentibus, eos enim nigros ac mobiles reddit. Renodæus. c. 51. l. 1. mat. medic.

Est optimum balsamum ad vulnera consolidanda.



SAGAPENVM.
Cap. *CCCCIX.*

Morellus de mat. med. EST ſuccus plantæ peregrinæ, tranſlucidus, fuluus extra, intus verò albidus, & acris, odore grauis, calidus tertio, ſiccus ſecundo gradu, pituitam & lentos humores purgat. Doſis eius eſt a drachma ſemiſſe ad vnam. Datur in pilulis. In vino liqueſcit.

Dioſc. lib. 3. c. 83. Cinnamomo corrigitur. Vide Dioſcoridem.



SAL COMMVNE ET AMMONIACVM.
Cap. *CCCCX.*

Dioſ. l. 5. c. 90. SAL commune, ſiue marinum ſiue minerale, Græcè ἅλς. Adſtringit, mundat, reſoluit, ſubtiliat & eſcharras facit, ſeruat à putrefactione, abſtergit, abſumit maculam oculorum & carneas excreſcentias, hydropi confert, tollit herpetes & alia cutis vitia ſi diù ad ignem cum aceto fricentur; vlceribus etiam malignis & tumoribus ani & oris confert.

Sal cum aqua aduerſus vermes pueris in Anglia (vt vidi) propinatur.

SAL AMMONIACVM.

SAL AMMONIACVM il est fabulosum reperitur sub sabulis Lybiæ circa oraculum Ammonis. resoluit, & simul adstringit, & humiditates absumit vide Galenum. Mathi. lib. 5. c. 85. Gal. l. 9 & 11. de simpl.



SALIX.

CAP. CCCCXI.

SALIX seu itea, dicitur salix, quod celeriter adeo crescat vt quasi salire videatur, minor salix, viminalis vel helice dicitur, aquas amat, exiccat & modicè adstringit. succus eius potus hæmoptoi confert, auribus inditus dolores earum tollit, decoctum eius podagræ confert. Diosc. c. 115. lib. 1.

Folia vulnera glutinant, flores exiccant, cinis clauos & verrucas tollit. Galen.

Vulnera recentia consolidat, vlcera desiccat, cortex vstus cum aceto verrucas & callos delet. Mathi. lib. 1. c. 117.



SALVIA.

CAP. CCCCXII.

SALVIA quasi salutaris, Gallicè, *sauge*, Græcè, elelisphacus, quod

in labem flaccescat. dicitur & herba sacra. calefacit & leuiter adstringit.

Diosc. lib. 3. cap. 33. Decoctum eius vrinas & menses cir, fœtus extrahit, capillos denigrat, sanguinem compescit, vulnera curat, pudendorum pruritus sedat, & vlcera tetrâ purgat.

Aëtius Suffitu, menses & alia profluuia compescit, comesa conceptum retinet, hæmoptoi confert & tabidis si vt edocet capiatur.

Plin. Apposita vermes aurium extrahit, aduersus scorpiones efficax est, ad lateris dolores & contra serpentes bibitur. Nos verò eâ ad catharros & vuulas laxas vtimur, futuris imposita pituitæ descensum suspendit.

Schola Salerni. Ad omnia ferè vtilis est, adeò vt vix mori deberet qui eâ vtitur.


Mathi. lib. 3. cap. 34. Ad omnes morbos capitis frigidos & à phlegmate valet, ad epilepsiam, lethargum, paralysin & defluxionem in pectus, siue intus, siue extra, admoueatur. Folia sicca, suffumigio fluxus matricis, menstruaque sistunt, eius vsus bonus est pro prægnantibus nam fœtum viuum retinet, conceptum iuuat, hæmoptoinque sistit. Orpheus.



SALVIA VITÆ.

CAP. CCCCXIII.

SALVIA vitæ, ſeu empetrum & ruta muraria, Gallicè, *ſauue vie*, eſt ſpecies plantæ capillaris quæ muris antiquis innaſcitur: Adſtringit eſtque calida & ſicca. Cocta in vino & pota, febres curat, calculum frangit, ſingultum & ſtranguriam tollit, vrinam mouet. Dioſc.



SAMBVCVS. EBVLVS.

CAP. CCCCXIV.

SAMBVCVS Gallicè *ſureau*. Græcè, ἀκτέ, à ſambucâ inſtrumento inde parato. Ebulus ſeu chamæ-acte eſt eius ſpecies, Gallicè, *hyeble*. Virgas cauas mittit & medullâ refertas, folia nucum ſed graueolentia, vmbellas albas & poſtea fructum nigro purpureum edit, aquas & opaca loca amat. calefacit & deſiccat.

Folia eius cocta & comeſa, pituitam & bilem purgant, radix cum vino pota hydropicis medetur, viperæ morſui ſubuenit, vuluæ affectus corrigit; fructus il- Dioſc. lib. 4. c. 153.

litus capillos denigrat, folia cum polenta inflammationes mitigant, ambustis & canum morsibus medentur; podagræ cum adipe tauri vel hirci succurrit.

Galen. lib. 6. simpl. Conglutinat, desiccat, resoluit.

Paulus Ægin. Aquas educit præsertim si eius germina in acetariis edantur.

Plin. Folium tritum & cum vino potum pellit calculos, impositum testes sanat.

Mathi. lib. 4. c. 168. Corticis succus vomitum cit & aquas hydropicorum, vt & iuncturarum euacuat, podagræ valdè confert cum iuæ artheticæ decocto, vt & lui venereæ & ischiadico dolori; ex eius medio cortice fit optimum vnguentum ad ambusta vt edocet Mathiolus: Folia vsta naso indita sanguinem sistunt, cocta verò ad syrupi crassitiem dolori aurium succurrit.



SANGVIS.
CAP. CCCCXV.

Diosc. lib. 2. c. 68. IN antidotis ponitur sanguis anseris, at sanguis columbarum & perdicum oculis instillatur ad visum acuendum, sanguinem sistit & frictus alui fluxum cohibet, estq; alexiterius: Sanguis tauri

emollit omnia dura: menstruorum sanguis admotus conceptionem impedit, & podagras ac erysipelata mitigat.

Sanguis muris verrucas curat, taurinus haustus est venenum lethale. Vide Galenum. Mathi. lib. 2. cap. 72. Galen. lib. 10. simpl.


Ex aliis sanguis vespertilionis pilos denigrat & euocat. Sunt & qui è sanguine humano panaceam seu quintam essentiam conficiant ad omnes morbos & iuuentutem reuocandam, imò ad metallorum metamorphosin.



SANGVIS DRACONIS.
CAP. CCCCXIV.

SANGVIS draconis, est gummi rubrum ex arbore stillans Indica, valet ad consolidandum, adstringendum & glutinandum vulnera recentia & roborat corpora flaccida. Renod. de mat. medic. l. 1. c. 8.

In eius arboris fructu depictus est draco à naturâ, indeque nomen datum arbori, errant verò qui à draconibus sub elephantibus occisis sanguinem illum promanare existimant.



SANICVLA.
CAP. CCCCXVII.

Fuch-sius. c. 260. SANICVLA, ita dicitur quod vulnera sanet, aliter diapensia & dentaria minor nuncupatur. Habet folia subrotunda sed laciniata, & in 5. aut *6*. diuisa, vt vitis, vel pentaphyllon; at fœmina magis laciniata est, florem habet candidum, radicem mirè concatenatam & vt dentes effigiatã, vnde ei nomen. syluas amat, amara est, calefacit, exiccat & adstringit, est calida sicca secundo gradu. Succus eius epotus valet ad vulnera, tumores reprimit imposita, estque præsens remedium ad vitia pulmonis, faucium & reliqua vt symphytum. Ad sanguinis sputum & dysenteriam, renumque vitia mira facit. Rupturas & vulnera interna curat. Est species symphyti. Mathi. l.4. c.9.



SAPHYRVS.
CAP. CCCCXVIII.

Diosc. l. 5 c.120 Math. l. 5. c.14. SAPHYRVS epotus valet contra scorpionum ictus & vlcera externa. Cor roborat, quare antidotis additur.

SAPO-



SAPONARIA.
CAP. CCCCXIX.

SAPONARIA dicitur, quod câ olim lanas eluerent, aliter ſtruthium ob folia alas paſſeris imitantia, Gallicè, *herbe au foulon*. Habet folia oleæ ſed maiora, & ſtriata, floremque candidum, amat aquas, eſt calida ſicc. quarto gradu.

Vrinas cit, tuſſi, orthopnœæ iecinoroſiſque conducit, aluum ducit, calculos frangit & emittit, lienem emollit, menſes prouocat, fœtum necat, lepras tollit, tubercula diſcutit. Dioſc. lib. 2. c. 149.

Sternutare facit & abſtergit. Galen. lib. 6. ſimpl.

Abſtergit, ſternutare facit, credit verò radiculam & non ſaponariam verum eſſe ſtruthium. Mathi. lib. 2. c. 156.

Semen eius epotum ſæpè, epilepſiæ prodeſt.



SARCOCOLLA.
CAP. CCCCXX.

SARCOCOLLA eſt gummi arboris Perſidis, ruffum, conſolidans vulnera, vnde ei nomen inditum, & fluxiones oculorum ſedans. Dioſc. lib. 3. c. 87.

Mathi. lib. 3. c. 83. Phlegma crudum euacuat, humoresque viscosos cerebri, neruorum, pulmonis & iuncturarum, vt & ischiadis; asthmati confert & oculorum maculis, aliisque oculorum impedimentis, prodest etiam vlceratis auribus.



SARD-ONYX ET ONYX.
CAP. CCCCXXI.

Renod. lib 2. de mat. medic. sect. 2. cap. 5. SARD-ONYX & onyx gemmæ sunt à colore vnguis dictæ, quæ ingenium recreant, animum augent, sanguinem sistunt & incantamentis ac maleficiis resistunt.



SATVREIA.
CAP. CCCCXXII.

SATVREIA, à satyris dicta est quia ad venerem excitat, aliter thymbra, Gallicè, *sariette.* Est planta thymo similis sed minor, cum flosculis ex purpureo candentibus, loca aspera amans, calida & sicca tertio gradu.

Diosc. lib. 3. c. 37. Eius puluis epotus pulmonis & vesicæ vitiis medetur, vrinas & menses cit, lethargicos excitat, coïtus irritat, con-

coctiones iuuat, fastidia tollit, visumque acuit. Ei vires thymi dant Mathiolus & Paulus Ægineta. Mathi. lib. 3. cap. 38. Paulus Æg. l. 7.



SATYRIVM, ORCHIS.
Cap. CCCCXXIII.

SATYRIVM sic dicitur quod ad venerem incitet, Græcè, orchis, id est, testiculus canis & vulpis. Ab aliis testiculus sacerdotis, quod radix testiculorum figuram habeat. Amat prata & loca arenosa, est calid. humid. radix eius viridis condita, ad venerem excitat quia flatuosa, aiunt mares generari si à viris edantur & econtra; sicca coitum minuit & epota valet ad opisthotonos. Galenus eam flatulentam etiam asserit. Diosc. lib. 3. c. 128. 129. 130. Galen. lib. 8. simpl.

Neruos intendit, tumores sedat, trita radix vlcera oris serpentia, &c. curat. Plin.

Excitat ad luxuriam quia ventosa, maior radix melius comeditur cocta sub cineribus, resoluit tumores, mundat vlcera, herpetes curat & vlcera putrida. Adstringit aluum, colli torturam sanat. Mathi. lib 3. c. 127.

Satyrium basilicum seu regium vel palma Christi dictum, quod radix eius manum referat, est calidum siccum, erugat cutem, ad neruorum dolores, & con-

tra noxia medicamenta valet, semen eius cum vino per nouem dies haustum sanat epilepsiam, radix cum vino epota quartanam arcet.




SAXIFRAGIA.
CAP. CCCCXXIV.

Fuchsius. c. 285. 286. 279. SAXIFRAGIA maior seu prima est flore albo, ranunculi facie, pratensis, mense maio florens, folio subrotundo sed parum denticulato, radice granulata partim rubra partim alba, amara, calida & sicca tertio gradu. Frangit calculos vnde ei nomen inditum fuit, valet ad stranguriam, purgat venarum crassities, menses cit, è thorace crassa educit.

Saxifragia vel saxifraga lutea habet folia fœnu-græci, flores pisi sed minores, & luteos, odoratos & deorsum vergentes. Abstergit & purgat venas, iecur & lienem deobstruit, glutinosa educit, succus eius caligines oculorum tollit.

Mathi. lib. 4. c. 15. Mirè rumpit & expellit calculos vesicæ, teste Calceolario pharmacopœo Veronensi percelebri qui multos sic expulit.



SCABIOSA.
CAP. CCCCXXV.

SCABIOSA dicitur quod ſcabiem curet, habet folia laciniata, florem ex purpureo albicantem, radicem craſſam. vires ſuccifæ poſſidet, tuſſim & ſcabiem tollit. eſt cal. ſic. Fuchſius. c. 272.

Calefacit, extenuat, & abſtergit, pulmones liberat à craſſis humoribus, decoctum eius ſcabies curat & carbunculos peſtilentes mirè diſſoluit, confert morſibus venenatis, lichenibus, lentiginibus & faciei vitiliginibus. Mathi. lib. 4. c. 11.

Folia admota tollunt oculorum maculas rubras & ſanguinem ſiſtunt.




SCAMMONIVM. DIAGRIDIVM.
CAP. CCCCXXVI.

SCAMMONIVM eſt planta inſtar campanulæ, lac effundens, ex quo concreto, fit ſuccus concretus eiuſdem nominis, qui etiam diagridium vocatur. Melius eſt leuiſſimum, ſplendens & inſipidum. Eſt calidum ſiccum tertio gradu. Morellus de mat. med. Meſuë.

Corrigitur ſucco cydoniorum vel maſtiche. Humores mordaces & bilem à partibus remotis attrahit, vt & ſeroſos humores & aquas citrinas.

Alex. Trallian. Ex Alexandro Tralliano lethargum deploratum curat, vt expertus eſt, ſi detur ad ſcrupulum vnum cum caſtorei ſcrupulis duob. in oxymelite.

Mathi. lib. 4. c. 165. Dioſc. lib. 4. c. 150. Datur in potu vel boli forma aut pilul. vide Mathiolum & Dioſcoridem.



SCILLA. PANCRATIVM. CAP. CCCCXXVII.

Dioſc. lib. 2. c. 156. & 157. SCILLA vel ſquilla, Gallicè dicitur *ſtipoule, charpentaire, & oignon marin.* Amat loca marina & arenoſa, rubet extra, eſtque quaſi cæpa ingens. incidit, & parumper calefacit. Valet ad aluum purgandam, ad verrucas penſiles, ad talorum apoſtemata, ad hydropes, ad hæmoptoin, aſthma, dyſuriam & pedum fiſſuras.

Acris eſt, morſibus viperæ prodeſt vt & ictero ſed præparari debet vt docet, quia exulcerat, verrucas & perniones tollit, ſemen aluum mollit. Pancratium eſt eius ſpecies, vires eaſdem ſed mino-

res possidens, lieni confert. Vide Mathiolum. Mathi. lib 2. c. 168.




SCINCVS.

CAP. CCCCXXVIII.

SCINCVS, est lacertus Indicus vel Ægyptius, cuius caro circa renes sita luxuriam prouocat ad drachmam vnam pota, in antidotis etiam ponitur. Diosc.

Ad vulnera sagittarum intoxicatarum valet. Mathi. lib. 2. c. 60.



SCOLYMVS.

CAP. CCCCXXIX.

SCOLYMVS, vel carduus, strobylus a figurâ nucis pineæ & cinara quod cineribus gaudeat, dicitur etiam, arcocum, alcocalum, & Gallicè, *Artichaut*, quasi articaulis, id est panis & caulis. Est calid. secũdo gradu, & sicc. etiã secũdo.

Radix eius tollit optimé graueolentiam axillarum, pota in vino, vrinam fœtidam copiosè educit. idemque asserit Galenus, lichenas & lepras cum aceto sanat, ad coitum etiam excitat. Diosc. Galen. l. 2. de alim. Plin.

Decoctum eius epotum icterum curat, sanguinem melancholicum generat. Math. l. 3. c. 13.



SCOLOPENDRIVM.

Cap. CCCCXXC.

SCOLOPENDRIVM vel phyllitis, lingua ceruina & hemionitis dicitur, vt & splenium, quod splenem, etiam ei iniectum euacuet. ab aliis scolopendrium asseritur esse potius ceterach.

Lingua cerui habet folium longum, cum incisuris vtrinque multis in folio ipso, amat aquas, adstringit, est calida primo gradu & sicca secundo.


Diosc. lib 3. c. 136. 137. Gal. l. 8. simp. Plin. Lienem pota cum aceto liquat. Idemque aiunt Galenus & Plinius, asseruntque sues eius radicem edentes, sine liene reperiri.

Mathi. lib. 3. c. 104. Aqua eius valet ad cardialgiam & eius gargarismata vuulam reponunt; dysenteriæ etiam confert.

CETERACH.

Mathi. lib. 3. c. 134. CETERACH habet folia subtus quasi deaurata, oblonga & circum incisa sed est parua planta respectu linguæ ceruinæ & parietibus innascitur. Eius decoctum lui venereæ, melancholicisque prodest, splenem minuit & calculum rumpit. Vide Galenum.

Galen. lib. 6. simpl.



SCORDIVM. ALLIARIA.
Cap. CCCCXXXI.

SCORDIVM dicitur quod allium redoleat vnde & à quibusdam alliaria vocatur, ab aliis trixago palustris, amat prata & humida loca ac montana. calidum est.

Vrinam cit, siccum & cum vino coctum ad morsus serpentum & venena lethalia bibitur, ad dysenteriam, vrinæ difficultatem, tussim veterem, ruptos, conuulsos, inflammationes & podagras cum aceto illitum; menses mouet si indatur vuluæ, vlcera ac vulnera purgat & curat, carnis excrescentias tollit. Diosc. lib. 3. c. 113.

Ad laterum dolores valet & viscera calefacit. Galen. lib. 8. simpl.

Internas partes mundat & calefacit, vrinas & menstrua ciet, epotum curat rupturas, conuulsiones, laterum dolores, vulnera & vlcera maligna. Mathi. lib. 3. c. 108.

ALLIARIA.


ALLIARIA est etiam planta, folio vrticæ, allia redolens si fricetur. Easdem habens vires, eius semen admotum vtero, à suffocatione eius, mulieres reuocat.



SCORPIONES.
CAP. CCCCXXXII.

Diosc. SCORPIONES vel scorpii, triti ictus suos curant si vulneri imponantur.

Mathi. l. 2. c. 11. 12. & l. 6. Mesuë. Auic. Cinis eorum, vrinas mouet ob calculum non fluentes. Oleum eorum inunctum circa pudenda & regionem vesicæ, valdè commendatur ex Mesuë & Auicenna ad surditatem, oleum meæ descriptionis vt docui. l. 6. inunctum emunctoriis & vbi arteriæ tanguntur à medicis, curat omne venenum & pestem, vermes, colicum dolorem & matricis ac stomachi, aliosque frigidos & ventosos. curat morsus viperarum aliosque venenatos; ad dolorem aurium, & frigus stomachi etiam valet.



SECVRIDACA.
CAP. CCCCXXXIII.

Diosc. lib. 3. c. 132. SECVRIDACA, aliter hedysarum & pelecinus, cicerem æmulatur, habet siliquas curuas,, securimque refert, vnde ei nomen. amat segetes, pes-

ſarii formâ admota conceptum impedit, antidotis miſcetur.

Semen eius aduerſus morſus venenatos propinatur, puluis eius vulnera & vlcera mundat, lentigines, &c. tollit. pectus à craſſis purgat humoribus, vermes necat. Amara & aſpera eſt, ideoque calida. Mathi. lib. 3. c. 129.



SENNA.

CAP. *CCCCXXXIV.*

SENNA colutea, Gallicè, *baguenaudier*, eſt orientalis & noſtras. Habet folia fœnu-græci, & florem geniſtæ. Eſt arbuſcula ferens follicula, eſtque calida ſicca primo gradu.

Pituitam & bilem ſi ad drachmam vnam capiatur educit, & poſtea alios humores, confert capitis dolori antiquo, ſcabiei, morbo comitiali, impetigini, obſtructiones etiam tollit & bilem torridam ejicit. Actuarius.

Deobſtruit, iuuentutem ſeruat, melancholiam purgat, roborat cerebrum, lienem, pulmones, & omnes ſenſus, vt & cor & iecur, purgat prætetea bilem & phlegma ex Actuario, neruos, viſum & auditum roborat, mirè ſtultis confert, Mathi. lib. 3. c. 71.

pustulis & dolori capitis, epilepsiæ, scabiei, paralysi, vlceribusque totius corporis prodest.




SENECIO.
Cap. CCCCXXXV.

SENECIO, vel erigeron, Gallicè, *senesson*, quod vere & citò senescat & in pappos euolet, vel à papporum colore. Erucæ modo incisuras habet caulis eius est semicubitalis & subruber, florem luteum habet, circa sepes & oppida nascitur, refrigerat & discutit ex Paulo Æ-gineta. (Paulus Ægin.)

(Dios. l. 4 c. 82.) Refrigerat illitus, sedis & testium inflammationes mitigat; ad vulnera neruorum vtilis est, si cum aceto illinatur, ad stomachi dolores cum aqua coctus etiam bibitur.

(Plin.) Eius lanugo epiphoris cum croco & aquâ frigidâ, strumis verò cum sale tosta illinitur.

(Mathi. lib. 4. c. 92.) Senecio refrigerat & resoluit.



SERPENTES.
CAP. CCCCXXXVI.

CARO viperæ comesa, visum clarificat, neruos debiles roborat & scrophularum accretionem impedit. Diosc.

Serpentes comesi, vel vinum in quo suffocati fuerunt, curant leprosos cuius rei miram narrat historiam. Mathi. lib.2.c.16.

Musa medicus Augusti ex Plinio vlcera aliter incurabilia esu viperarum curabat; Ex Cardano vero phthisin mirè curant, etiam in conclamatis. Musa. Plin. lib.30. c.13. Cardanus.

Ægyptii serpentes & viperas comedebant. alibique idem fit vt circa Castra Albigensium, adipem etiam earum multi mihi noti comederunt, sicque ab omni scabie liberati sunt. Galen. l.3.de alim.

EXVVIA SERPENTVM.

CVM vino cocta & auri instillata ad dolorem earum ac dentium valent, oculorum morbos etiam leuat. cum aceto ad dol. dentium coquitur, Alii ad cœliacos & spasmum id remedium commendant, vt Marcellus. Diosc. Galen. lib.11. simpl. Marcellus.



SERPYLLVM.
CAP. CCCCXXXVII.

SERPYLLVM dicitur quod serpat vel quod vbi tangit, ibi radices agat, Gallicè, *Serpolet & poultot.* odorem sampsuci habet, florem sub-purpureum folia rutæ, eaque acria; est syluestre & hortense, loca sicca & aprica amat; est valdè calidum.

Diosc. lib. 3. c. 38. Menses & vrinas mouet, præcipuè syluestre, prodest torminibus, ruptis, conuulsis, iecoris inflationibus, contra reptilia, ad capitis dolores sedandos si cum rosis & aceto admoueatur & lethargo, & phrenitidi. succi eius drachmæ 4. cum aceto vomitum sanguinis sistunt.

Aëtius idemque ait Aëtius.

Plin. Aduersus hæmoptoin, scorpiones & serpentes valet, quos etiam odore fugat.

Galen. lib. 6. simpl. Calefacit & vrinas menstruaque ciet. idemque confirmat Mathiolus.

Mathi. lib. 3. c. 39.



SESELI MASSILIENSE.
CAP. CCCCXXXVIII.

SESELI Massiliense vel siler montanum, habet folia fœniculi, vmbellam

anethi, cum semine oblongo, angulose, & acri, radiceque odorata. calefacit & desiccat secundo gradu.

Stranguriæ, epilepsiæ, & vteri suffocationi, epotum confert, menses & fœtus educit, tusses longas curat, tormina discutit, coctionem iuuat, epialam febrem curat, partum accelerat, frigus tollit in itinere, si cum vino & pipere bibatur. Diosc. lib. 3. c. 52.

Vrinas mouet & orthopnœæ confert. Vide Mathiolum, & cap. de tordylo. Galen. lib. 8. simpl. Mathi. lib. 3. c. 53.



SIDERITIS.
Cap. CCCCXXXIX.

SIDERITIS est species tetrahit, folia habet marrubii sed longiora, florem verticillatum, cum semine nigro, caulem quadratum, radicem subluteam exiguam, abstergit ob amaritudinem & adstringit.

Eius folia vulnera glutinant & inflammationes arcent. Diosc. 4. c. 27.


Folia eius phlegmones sedant. Gal. l. 8 simpl.

Sanguinem à vulneribus optime sistit. Est humida & mediocriter frigida, mitigat inflammationes & consolidat. Plin. Mathi. lib. 4. c. 29. 30. 31.

ACHILLEA.

Mathi. lib. 4. c. 32. Diosc. l. 4. c. 28. Galen. lib. 8. simpl.

ACHILLEA est species eius quæ adstringit & confert dysenteriæ (pulmonis vitiis) ac menstruis nimiis.



SIGILLVM SALOMONIS ET MARIÆ.

Cap. CCCCXL.

SIGILLVM Salomonis, dicitur etiam polygonatum à geniculis, Gallicè, *genouillet*. Habet folia lauri sed læuia & flaccidiora, amat montes, adstringit.

Diosc. l. 4. c. 5. Radix eius vulneribus medetur & vultus maculas delet.

Galen. lib. 8. simpl. Idem ait Galenus & quod nœuos aufert.

Mathi. l. 4. c. 5. Radix illius cicatricum maculas & faciei lentigines tollit.



SISER.

Cap. CCCCXLI.

SISER vel sisara, ab aliis carui (de quo supra) Gallicè, *cheruis*. Amat hortos; est calid. ex Galeno.

Galen. Diosc. lib. 2. c. 102. Vtilis est stomacho, vrinam cit & appetitum iuuat.

Ad

Ad tormina & ſingultus valet, faſtidia & nauſeas tollit. Paulus Ægin. Plin.

Radix eius cocta, grata eſt ori ac ſtomacho & vrinas mouet. Mathi. lib. 2. c. 107.



SMILAX.
CAP. CCCCXXXXII.


SMILAX, eſt leuis & aſpera: aſpera, habet folia hederacea ſed longiora & aculeata, eſtque ſpecies Zarzæparillæ, & circumuoluitur arboribus, florem habet candidum guſtum leuiter mordentem, amat paluſtria.

Fructus & folia eius bibuntur ad venena lethalia. folia eius calefaciunt & ſiccant. Dioſc. lib. 4. c. 125. Galen.

SMILAX LEVIS.

SMILAX Leuis aliter campanula, volubilis, hedera ciliſſa, funis arborum corrigiola, Gallicè, *liſet*, leuis vocatur quod ſit ſine ſpinis, eſt præcedenti ſimilis, modicè amarus, amat ſepes. ſemen eius in potu datum ſomnia turbulenta inducit. Dioſc.

Ad paſſiones calidas oculorum & capitis vtilis eſt. vide Galenum & caput de lupulo. Mathi. lib. 4. c. 140. Gal. l. 7. ſimp.



SMYRNIVM.
Cap. CCCCXLIII.

SMYRNIVM, dicitur quod myrrham oleat, aliter leuisticum, imperialis, Gallicè, *leuesche*, est species dauci caulem habet vt apium, folia latiora, cum acrimonia, sublutea, semen rotundum & nigrum, radicem acrem. Amat loca humida, est calid. sicc. tertio gradu.

Diosc. lib.3.c. 69. Aluum sistit si comedatur, radix epota valet ad morsus serpentũ; vrinæ difficultates, tusses, & orthopnœas mitigat. œdemata & phlegmones ac durities discutit, subdita abortus inducit, lienis, renum ac vesicæ vitiis prodest, stomachi inflationes tollit, ischiadicum minuit dolorem, febribus & hydropi confert.

Galen. Menses & vrinas mouet, est species petroselini, vlcera curat quia desiccat, vires apii habet, asthmati confert.

Mathi. lib.3. c. 65. Ventos stomachi pellit, colico dolori prodest ac matrici, menstrua vrinasque ciet, decoctum eius dolorem dentium ac suffocationem matricis mitigat, conceptum & digestionem iuuat; mansum

cerebrum purgat, vtile est paralysi, epilepsiæ, conuulsioni & quartanæ; pesti & morsibus venenatis resistit. Asthmaticis vtile est, deobstruit, hydropemque curat.



SOLANVM.
CAP. CCCCXLIV.

SOLANVM vel solatrum, vocatur etiam cuculus, vua vulpis vel lupina, morella id est insana. Græcè strychnus, Gallicè, *baguenaudes.* Sunt & inter eius species, halicacabus & vesicaria, solanũ hortense, fructu nigro, nigrum dictum à foliis nigris ocimo maioribus. Stramonium seu solatrum mortale, somniferum, Maniacum, &c. hortense refrigerat & adstringit secundo gradu vt & halicacabus, somniferum tertio, furiosum vel maniacum secundo. Amat montes & hortos.

Folia solani hortensis ad ignes sacros, herpetes, &c. imponuntur, trita ad ægylopas & capitis dolores, stomacho æstuanti, parotid. aurium dolori, & ictero confert succus eius fructus. Somniferi solani radicis cortex ad drach- Diosc. lib. 4. cap. 61. 62. 63.

mam vnam cum vino bibitur ad somnum prouocandum, fructus vrinas valdè cit, quare hydropicis datur, dentium dolores & oculorum hebetudines tollit, furiosi solani verò radix ad drachmam vnam epota, pulchra dat somnia, ad duas aut tres extasim inducit, ad quatuor necat. Aqua mulsa copiosè pota & vomitus eius remedium sunt.

Mathi. lib. 4. c. 69. Fronti admouetur solanum ad fluxiones oculorum calidas, & succus cum oleo rosaceo ad dolores capitis à calore ortos, colluitur ad oris & vuulæ inflammationes, in vnguentis curam vlcerum difficilium accelerat. Vide Alkekengi.

SONCHVS.
CAP. CCCCXLV.


SONCHVS, cicerbita, lactucella & lactuca leporina idem sunt, sic dicitur quod lac effundat si rumpatur, Gallicè, *laicteron*, & *Palais au lieure*, quod à leporibus diligatur. Habet folia scissa & longa, florem luteum, qui abit in pappos. Vineas & hortos amat, duplex est asper & lenis. Leuiter frigidus est.

Diosc. l. 2. c. 117. Modicè adstringit, illinitur stomacho

æstuanti & inflammato, rosiones eius mitigat lac auget, sedis ac vuluæ inflammationibus opitulatur, ictibus scorpionum medetur.

Editur viridis vt alia olera in acetariis. Galen.

Succus eius asthmaticis prodest & stomachi defluxionibus, epotus curat dysurias & strangurias, instillatus verò ad dolores aurium vtilis est. Mathi. lib. 2. c. 124.



SORBVS.
CAP. *CCCCXLVI.*

SORBVS, Græcè, σὴ, Gallicè, *sorbier & cormier*, adstringit, sorba viridia aluum sistunt. Ex Galeno adstringunt vt mespila. Vide Mathiolum. Diosc. lib. 1. c. 133. Galen. Mathi. lib. 1. c. 136.




SPATVLA FOETIDA.
CAP. *CCCCXLVII.*

SPATVLA fœtida, aliter xiris & xiphium, est gladioli species, Gallicè, *glayeul puant*. A figurâ nomina gladioli & xiphii sumit, vnde & apud occitanos, *coutele*, dicitur. Fert siliquas vt pæonia, calida & sicca est. Habet vires staphidis

agriæ, valdè abstergit, scabiei prodest, spicula extrahit, cimices necat & fugat.

Mathi. lib.4. c. 22. Radix eius attrahit, resoluit & desiccat & adhuc magis fructus, lienem emollit, vrinas prouocat. Vide Dioscoridem.

Galen. lib. 8. simpl. Diosc. l. 4. c. 18. 19.



SPINA ALBA.

Cap. CCCCXLVIII.

Fuchsius. c. 16. SPINA alba dicitur etiam carduus Mariæ & punicè, bedeguar. Gallicè, *chardon ou laict nostre Dame, chardon argentin & artichaut sauuage.* Habet folia chameleontis, aspera, aculeata, sabalba. & in summitate echinos fert oblongos flore purpureo, in montibus & viis nascitur. Desiccat & modicè adstringit.

Diosc. lib.3. c. 12. Radix epota hæmoptoï medetur ac cœliacis, vrinam cit, œdemata curat, decoctum eius pueris conuulsis auxiliatur & à serpentibus demorsis; dolorem dentium etiam minuit.

Galen. lib. 6. simpl. Radix cœliacis & stomachicis succurrit & eadem quæ supra ex Dioscoride diximus Galenus memorat.

Mathi. lib.3. c. 12. Hæmoptoï medetur, desiccat & adstringit modicè, cœliacis & stomacho debili confert, apostemata resoluit, do-

lorem dentium gargarismate mitigat, semen eius conuulsioni prodest.

ALBA SPINA.

ALBÆ spinæ decoctum epotum dolorem laterum curat, radix verò confert dolori ischiadico & dentium. Diosc. l. 3. c. 20.

Est calida primo gradu, desiccat verò tertio, radix eius calefacit, abstergit, aperit, attenuat; decoctum hydropi, ictero & calculo prodest, lac auget, dolorem lateris mitigat. Mathi. lib. 3. c. 19.



STACHYS.
CAP. CCCCXLIX.

STACHYS, Gallicè, *sauge sauuage, ou de montagne.* Habet folia marrubij sed maiora & hirsuta, florem purpureum circa folia orbiculatim dispositum. est acris & amara.

Menses & secundinas pellit & ex Galeno, abortum facit. Diosc. Galen.

Est calida tertio gradu, menstrua & secundinas cit, abortumque inducit. Mathi. lib. 3. c. 103.



STANNVM.
CAP. CCCCL.

Reno-dæus. lib. 2. sect. 3. cap. 3. STANNVM est metallum, cuius oleum chymicè extractum valet ad omnia vulnera, tàm recentia quam antiqua.



STAPHIS-AGRIA.
CAP. CCCCLI.

STAPHIS-AGRIA vel pituitaria, quod pituitam cieat, pedicularis verò, quod eius puluis pediculos arceat. vnde Gallicè, *l'herbe aux poux*. Habet folia fermè vt vitis, flores isatidis, semen triquetrum & subrufum. Amat loca opaca. Linguam vrit, quare est calida sicca quarto gradu.

Diosc. lib. 4. c. 135. Grana eius. 15. per vomitum purgant, sed fauces vrunt, cum oleo tollit morbum pedicularem & scabies pruritusque: Gingiuarum rheumatismum sistit, dentium dolorem tollit, & aphthas.

Galen. Vrit & fortiter abstergit.

Mathi. lib. 4. c. 150. Cerebrum à phlegmate masticatione euacuat, scabiem curat, lentes & pediculos necat.



STERCORA.

CAP. CCCCLII.

STERCVS vaccæ recens, vulnerum inflammationes & iſchiadicos dolores tollit. cum aceto reſoluit ſcrophulas, durities & apoſtemata lata, matricem̃ cadentem retinet. Stercus capræ ictetū curat, cum cinnamomo in potu ſumptum, menſtrua & fœtū ejicit, vſtum alopeciam curat, valet etiam aduerſus morſus ſerpentum, podagras, eryſipelata & vlcera edentia. Ouile ſtercus cum aceto curat epinyctides & verrucas. Aſini vel equi ſtercus cum aceto vel vſtum, ſanguinem omnem ſiſtit. Dioſc.

Stercus columbi reſoluit ſcrophulas cum aceto ambuſta ſanat & carbunculos. caninum aluum ſiſtit. Humanum tollit inflationes & inflammationes & cum melle ſynanchen.

Ex ſtercore humano fit oleum curans cancros. Bouinum deſiccat & attrahit, ictus veſparum & apum curat, apoſtemata inflata & hydropem curat. Ibicis ſtercus curat iſchiadicum dolorem & podagram. Mathi. lib. 2. c. 73.

Stercus ibicis reſoluit, lupi vero ad colicum dolorem valet. Gal. l. 10. ſimp.

Ex eo vaccæ, mense maio fit aqua ad iecur renouandum. Muscerda datur nutricibus ad lac augendum.



STOECHAS.
CAP. CCCCLIII.

STOECHAS nomen sumit ab insulis eiusdem nominis circa Massiliam, vbi copiose reperitur. Habet comam thymi, folio tamen longiore subalboque ac subamaro est, flore cæruleo sed exiguo, semine triquetro. Amat loca sicca, est sub-adstringens.

Diosc. lib. 3. c. 28. Vt hyssopus ad thoracis vitia valet, & antidotis miscetur.

Galen. l. 8. de simpl. Obstructiones tollit, detergit, extenuat & corpus roborat.

Plin. Dolores tollit, menses cit.

Mathi. lib. 3. c. 27. Deobstruit, mundat, membra interna roborat, phlegma & melancholiam euacuat, neruos ac cerebrum etiam mundat & roborat, morbis frigidis confert, vt epilepsiæ; doloribus etiam iuncturarum prodest.



STORAX.

CAP. CCCCLIV.

STORAX est arbor instar mali cotonei, cuius resina storax etiam vocatur, estque ruffa, & pinguis; calefacit, catharris tussique confert, menses prouocat, ventrem mollit, lassitudinem tollit vnctione, in emplastris ad resoluendum ponitur. Diosc.l. 1.c.65.

Catharros & raucedines curat. vide myrrham. Math.l. 1.c.68.



SVLPHVR.

CAP. CCCCLV.

SVLPHVR, Græcè θεῖον, id est. diuinū, quod eo in sacrificiis olim vterentur, melius est, viuum dictum, quoniam ignem non passum est, est autem cinerei coloris. calefacit, citò maturat, cum ouo haustum putrida excreantibus, tussi & asthmati confert. fumus eius ejicit fœtum cum aceto valet ad scabies, herpetes, vitiligines & alia cutis vitia, vt & ad scorpionum ictus; cum ouo deglutitum icterum curat, nasi destillationi è cerebro & catharris confert, cum nitro Diosc.

& aqua podagræ admouetur. ſudorem admotum impedit,fumus eius lethargicos excitat, ſanguinem ſiſtit vndequaque manet. vide Mathiolum & Galenum.

Mathi. lib. 5. c. 83. Gal. l. 9.ſimp. & l. 6. c. 11.



SVMAC, RHVS.
Cap. CCCCLVI.

Mathi. lib. 1. c. 125.

SVMAC eſt nomen Arabicum & idem eſt quod Rhus.eſt arbuſcula foliis oblongis,denticulatis,ſubrubris, cuius fructu racemoſo & ſubrubro vtuntur infectores, Arabes eo cibos vt ſale aſpergunt. Idem facit viburnum ſeu cotinus, Scotano Italorum.

Dioſc. lib. 1. c. 121.

Folia eius adſtringunt & vires acaciæ habent, in dyſenteria ex iis fiunt clyſteres, vel fumus eorum per anum excipitur, nigros faciunt capillos, cataplaſma eorum gangrenam ſiſtit, aureſque ſordidas mundant. Idem facit ſemẽ.



SYCOMORVS.
Cap. CCCCLVII.

Dioſc. lib. 1. c. 141.

SYCOMORVS vel ſycaminus, eſt arbor procera, lacte abundans

ficus ferens insipidos; apud Rhodios reperitur; eius liquor trochiscatus vulnera consolidat & apostemata emollit ac maturat.

Habet folia mori, fructus vero è trunco prodit, sine acinis. De eo vide Galenum. Theophrast. l.4.c.2. Galen. lib.2. de aliment.



SYNAPI.

CAP. CCCCLVIII.


SYNAPI vel napy, sic ex Atheneo dicitur, quod olfactum oculis noceat, vel quod immite sit. Gallicè, *moustarde*. Duplex est, primum rapum, secundum erucam refert, calefacit & desiccat quarto gradu. Atheneus.

Extenuat & extrahit, pituitam capitis elicit, sternutamenta cit, epilepsiæ succurrit, vteri suffocationem reuocat, lethargicis derasis illinitur & ischiadicis; omnesque diuturnos dolores ac alopecias, sugillationes, faciei maculas lepras, & impetigines tollit. Ad febres bibitur siccum, ad scabies vtile est & ad auditus grauitatem. Diosc. lib. 2. c. 140.

Aluum mollit, valet ad ictus scorpionum & serpentum, vrinam & menstrua ciet, hydropique confert. Plin.

Simeó Seth°. Multum iuuat digestionem.

Mathi. lib. 2. c. 148. Puluis eius vtiliter admouetur ictibus serpentum & scorpionum, manditur sesemen ad dolorem dentium, admouetur hydropicis, asthmati confert, omnes corporis immundities externas mundat, & appetitum prouocat. Vide thlaspi.



TAMARISCVS.
CAP. CCCCLIX.


TAMARISCVS seu myrica, amat paludes, abstergit & incidit, & parumper desiccat.

Diosc. lib. 1. c. 95. In collyriis ponitur, hæmoptoï, morbo regio, cœliacisque prodest, lienem minuit, dentium dolori collutus confert, pediculos & lendes infusus tollit; ex eo fiunt calyces, &c. pro lienosis.

Galen. Lienes induratos emollit adeò vt sues in alueis ex eo factis bibentes sine liene

Plin. sint. carcinomata sanat.

Mathi. lib. 1. c. 99. Vlcera ab ambustis orta mirè desiccat, planta eius apostemata frigida repercutit, fructus ad morsus viperarum valet, decoctum lepras tollit & lui venereæ conferre posse existimo.



TAMARINDI.
CAP. CCCCLX.

EST fructus cuiusdam palmæ Arabicæ cuius pulpa nobis affertur, boni sunt pingues, obscurè rubentes, acidi, molles, Frigidi sunt & sicci, ex Mesuë, bilem euacuant, aduersus vomitum exhibentur, sitim, insaniam, obstructiones, hydropem, icterum, lienis vitia, lichenes, &c. tollunt. Frigiditas eorum cinnamomo corrigitur, dosis est ab vncia vna ad tres & datur in bolo & potione. Vide palmam. Morellus de mat. med. Mesuë.

Bilem purgant, lepras, vitiliginesque curant, & stomachis frigidis nocent. Mathi. lib. 1. c. 126.



THAPSIA. TVRBITH.
CAP. CCCCLXI.

THAPSIA ab insula Thapso dicitur, foliis ferulam vel fœniculum refert, florem habet luteum, ad quatuor obolos datur ad difficultatem spirandi, & ad ciendum vomitum, radix eius trita & admota liuores contusionum tollit. Vide Mathiolum. Diosc. lib. 4. c. 136. Math. L. 4. c. 151.

Theophr. l. 9. c. 22. Infernè & supernè purgat. Plinius eo vtebatur ad ictus curandos.

Plin. l. 13. c. 22. Renod. de mat. medic. Garcias. Quidam aiunt turbith esse alypum trifolium, thapsiam, &c. sed Garcias asserit aliam esse plantam folio ibisci, radice valdè longa; habet caulem gummosum circa radicem, & pituitam purgat, at alypum etiam melancholiam, sic dicitur à turbando, vt alypum dicitur herba terribilis quod valdè corpus agitet. Est cal. tertio gradu, phlegma à stomacho, pectore & iuncturis elicit.



THAPSVS, VERBASCVM. CAP. *CCCCLXII.*

THAPSVS barbatus, à Thapso Insula dicitur, aliter verbascum, candelaria, candela regis, lanaria, a colore & figura caulis farinacei, & quod olim eo pro lucernis vel elychniis vterentur. Græcè, phlomos, Gallicè, *bouïllon blanc*. Habet folia magna, mollia & lanuginosa, quæ desiccant & detergunt.

Diosc. lib. 2. c. 149. & lib. 4. c. 88. Radix eius adstringit, in alui fluxu cum vino propinatur, decoctum eius datur ruptis, conuulsis, contusis & tussi veteri. Blattas ad se allicit, folia ad œdemata

mata & oculorum inflammationes vsurpantur, sanant vlcera siderata, cum melle aut vino, vt & ictus scorpionum & ambusta.

Radix eius ad affectus è fluxione ortos valet & ad dentium dolores, collutione. Galen.

Succus eius fucus est mirè maculas & rugas tollens. Ad serpentum ictus valere etiam afferunt & mustelam sic ictus eorum vitare & curare ferunt.

Ani morbis folium confert, quia adstringit & desiccat, succus quartanam curat. Mathi. lib. 4. c. 99.

Alui tormina mitigat, verrucas asperas tollit, radix vero valet ad tonsillas inflammatas, gargarismate; dislocationes curat & tumorem earum ac dolorem tollit. Aqua ad oculorum fluxiones & rubedines valet, semen res corpori infixas elicit & faciei ruborem seu guttam rosaceam fugat, radicis decoctum resoluit & dentium dolorem tollit.



TARTARVM.
CAP. CCCCLXIII.

TARTARVM, est vini fœx, Græcè τρύξ. Habet facultatem abstergen- Diosc.

Mathi. lib. 5. c. 90. tem, vlcera cicatrisat, adstringit, corrodit & desiccat. Ventri admotum alui fluxum, vulvæ vero, menstrua sistit, tumores etiam resoluit.

Cristallum Tartari vrinas mouet, valet etiam ad calculũ & renes obstructos.



TAXVS.

CAP. CCCCLXIV.

Diosc. lib. 4. c. 68. TAxvs, Græcè, σμίλαξ, Gallicè *if*, est arbor, foliis ad pinũ vel abietem potius accedens, cuius vmbra noxia est, & si comedatur alui fluxum ciet.

Mathi. lib. 4. c. 75. Vina in doliis ex eius ligno confectis venenata, sunt, vt & fructus, præcipuè maris. Vide Plinium. Plin. l. 16. c. 10.



TERRAE, SIGILLATA. BOLVS ARMENA.

CAP. CCCCLXV.

TERRA communis refrigerat, adstringit & poros obstruit.

Diosc. Terra vero sigillata vel lemnia quæ ex spelunca vel puteo insulæ Lemnos fertur, valet ad cuncta venena, imò ad

morſus ictuſque venenatos, vt & dyſenteriam.

Sigillo cælatur ne adulteretur idem de bolo armena dici debet quod ad vires Math. l. 5. c. 73.

Eo curata fuerunt vlcera ani & fiſtulæ vt & vlcera pulmonum frequenti eius vſu, eſt etiam inter cardiaca. valetque ad deſtillationem cerebri in pectus, ad dyſenteriam, alui fluxus, catharros, & hæmoptoin, valdè etiam deſiccat. Galen. lib. 9. ſimpl.



TEVCRIVM.
CAP. *CCCCLXVI.*

TEVCRIVM, Gallicè, *Germandree baſtarde*, eſt chamedri ſimilis.

Cum poſca hauſtum viride, lienem minuit & lienoſis cum aceto illinitur, venenatis etiam morſibus confert. Dioſc. l b.3.c. 99.

Idem confirmat Galenus, incidit & deſiccat tertio & calefacit ſecundo. Gal. l. 8.

Ad vulnera præcipuè ſerpentum illinitur. Plin. lib. 25. c. 5.

Lienis morbos curat & ſi ſplen ei imponatur, conſumitur & porci eo vtentes ſplene carent. Math. lib. 3. c. 95.



TEREBINTHVS ET TEREBINTHINA.

Cap. CCCCLXVII.

Diofc. l. 1. c. 73. TEREBINTHVS eſt arbor eiuſdem virtutis cum lentiſco, cuius liquor Terebinthina dictus vrinas cit, vt aliæ reſinæ, tuſſi confert, phthiſi, pectus purgat, lepras tollit & tumores mollificat, prodeſt etiam in balſamis ad vulnera.



THLASPI.

Cap. CCCCLXVIII.

THLASPI dicitur ſynapi agreſte, naſturtium tectorum, capſella, ſcandularis & à nonnullis, burſa paſtoris, gallicè, *ſeneué ſauuage*. græcè, thlaſpi, à, θλᾶσθαι id eſt cõfringere, quod contuſum, videatur. habet folia anguſta, caulem tenuem, ſemen os vellicans, naſturtio ſimile ſed quaſi in burſis ſuis contuſum; ſemitas amat, calefacit & exiccat 4. gradu.

Diofc. l. 2. c. 142. Epotum, bilem purgat, iſchiadi prodeſt in clyſtere ſanguinem & menſes hauſtũ educit, fœtus necat & abſceſſus interio-

res rumpit, idem aiunt Paulus, Galenus Plinius, ac Mathiolus. Paulus. Galen. Plin. Math. l. 2. c. 150



THVS.

Cap. CCCCLXIX.

THVS ex Arabia Thurifera, dicta fertur, calefacit & adstringit, vlcera replet & cicatrisat, sanguinem sistit, oculorum suffusiones tollit, hæmoptoi confert, vlcera maligna curat, pulmonis morbis confert, & mammarum verrucas ac panaritios tollit. Diosc. l. 1. c. 67. 68. 69. 70.

Curat gonorrheam, alui fluxum, memoriam auget, cor recreat, tristitiam pellit, oculorum rubedinem velut incantamento vnicâ nocte tollit, aufert etiam lippitudinem, illud ad candelam ceream accendens & in aq. ros. extinguens & colans, addendo lac muliebre, si dolor adsit eius frontale cum croco & oui albumine ab hemicraniis liberat. Mathiol. l. 1. c. 70.



THYMELEA.

Cap. CCCCLXX.

THYMELEA Arbuscula est flore albo, montes amat, hydropi- Math. l. 4. c. 167.

coriũ aquas euacuat sed nocet nisi robusti sint qui eâ vtuntur: folia habet angustiora & viscosiora quam chamælea & grana vt granum gnidium. 20. grana corticis eius inferne, folia benignius purgant, nocet stomacho, fœtumque necat.

Diosc. l. 4. c. 152.



THYMVS.

Cap. CCCCLXXI.

Mathiol. l. 3. c. 37. THYMVS, Græcè nomen ab excitando habet est calidus & siccus tertio gradu.

Diosc. l. 3. c. 36. Aluum ac pituitam ducit cum sale & aceto potus, decoctum eius asthmati & orthopneæ vtile est, lumbricos fœtus ac secundinas eijcit, grumos sanguinis dissoluit & verrucas pensiles tollit.

Gal. Vrinam mensesque prouocat.

Aetius. l. 1. Podagræ ac ventri inflato confert, & ad dol. oculorum ac lippitudines.

Plin. Ad longas faucium distillationes & morbum comitialem valet.

Math. l. 3. c. 37. Multum podagricis ex Aetio prodest, ad dragmas tres captus bilem euacuat, vesicæ morbis confert, vt & dolori ischiadico, reuum, lateris, pectoris & hypochondriorũ inflationi, melancholicis &

infanis pauentibus; eius oleum vrinas, menstruaque cit, expectorat, & valdè calefacit.

EPITHYMVM.

EPITHYMVM est vt cuscuta, sed sic vocatur quia thymo innascitur. potum cum melle phlegma, melancholiam ventosque arcet, ad drachmas quinque haustum mirè. omnia remedia superat melancholiam euacuantia, ex Paulo Ægineta. idem ait Mesue, & addit quod facilè & gratè illud agit, si hauriatur, confert tremori corporis & lipothymiæ, epilepsiæ, melancholiæ hypochondriacæ, morbis renum & lienis, doloribus capitis antiquis, lepræ, cancro, vlceribus antiquis & quartanæ. Diosc. l. 4. c. 157. Paulus Ægin. Mesue. Math. l. 4. c. 172.

Thymi vires, sed majores habet. Gal. l. 6. simpl.



TILIA.
CAP. CCCCLXXII.

TILIA, Græcè phylyra, amat montes & valles & præcipuè loca aquosa. est calida, cortex eius, vulnera solidat, pedum inflationes resoluit, succus eius medullæ, capillos renasci facit & ne cadant prohibet. Math. l. 1. c. 109.

Galen. Plin. Lepram curat, folia eius vulnera glutinãt, trita pedum tumores tollunt, capillos fluentes retinent & faciem dealbant vires vlmi habent, morbo comitiali medentur & visum acuunt.



FLOS TINCTORIVS.

CAP. CCCCLXXIII.

Fuchsius FLOS TINCTORIVS, Gallicè, *Herbe à iaunir*, Est genistæ similis, folio hyssopi, flore pisi sed luteo, radice lignea, amat inculta & alta, calefacit secundo gradu & siccat, vires genistæ habet.



TITHYMALVS.

CAP. CCCCLXXIIII.

TITHYMALVS, aliter lactaria quod lac effundat si rumpatur, lactuca caprina vel marina quod ea capræ vescantur, esula dicitur, Gallicè, *espurge, & herbe au laict.* septem sunt eius species, nomina a figura foliorum desumentia, rudera & campestria amat. est acris & amaritudinis particeps, ad 4. gradum.

Pituitam & bilem per inferiora purgat ad pondus 2. obol. cum melicrato vomitum conciliat, depilat & eius liquor cauernis dentium ad eorum dolores inditur, verrucas tollit. Diosc. l. 4. c. 144.

Lichenas, psorasque detergit, vlcera phagedænica & gangrenata ac callos fistularum tollit. est acris & calid. Gal. l. 8. simpl.

Aquas hydropicorum validè, & humores à iuncturis trahit, totum corpus desiccat & extinguit semen, radix cocta in aceto dolores dentium cauorum tollit. succus depilat, scabies, impetigines &c. tollit; abstergit, vlcera phagedænica, carbunculos, gangrenas & callos fistularum curat, sed vt docet corrigi debet. vide peplum & esulam. Math. l. 4. c. 159.



TOPAZIVS LAPIS.
Cap. CCCCLXXV.

TOPAZIVS LAPIS, sanguinem sistit & iucunditatem conciliat, a phrenitide etiam præseruat. Renod. l. 2. mat. med. sect. 2. c. 7.



TORMENTILLA.
CAP. CCCCLXXVI.

TORMENTILLA dicitur, quo torminibus aluum fatiget, vocatı etiam heptaphyllon quod septem foli habeat. similis est pentaphyllo, sed foli habet minora, lanuginosa & serrata, flc rem vero luteum; in montibus nascitu radicem longam & rectam habet, est fr gida & sicca tertio gradu, vt pentaphy lum & easdem vires possidet.

Apuleius. Cum oleo inuncta, pedum dolor tollit. ex aliis, vulnera glutinat, farin foliorum vel radicis eius ad vrinæ diff cultatē propinatur, respersa verò vulnı ra glutinat. succus eius deploratis fistul instillatur, oculorumque nebulis, anei rismata, carcinomata, vlcera oris, strum herpetes &c. sanat. dysenteriam & on nes fluxus compescit. ac venenis resistit

Mathiol. l. 4. c. 2. Vires bistortæ possidet ex Mathiol



TRAGACANTHVM.
CAP. CCCCLXXVII.

Diosc. l. 3. c. 21. TRAGACANTHVM seu spi hirci est frutex, folio tenui, cui

gummi eiusdem nominis, Gallicè, *gomme adragant*, morbis oculis confert, vt & tussi, gutturi raucedini & fluxionibus in looch.

Valdè renibus exulceratis confert, & in clystere ad dysenteriam. Math. l. 3. c. 20.



TRAGOPOGON.
CAP. CCCCLXXVIII.

TRAGOPOGON seu barba, vel coma hirci, vel scorzonera, Gallicè, *Barbe de bouc*, ab aliis, *Salsific*. ab Etrusco *saxifica* quod inter saxa erumpat. est caule bicubitali, radice longa, flore luteo in pappos abeunte, foliis longis porraceis sed latioribus in origine, lac resudat, prata amat, est mediocriter calida, cocta vel cruda editur & est stomacho, thoraci, iecori, renibus ac vesicæ perutilis, succus eius ad lateris dolores valet. Fuchsius. Carol. Steph. præd. Rust. Alu. Semedo. Math.

Rad. eius editur hyeme in acetariis, scorzonera dicitur quia viperarum morsibus medetur a *Scorzo* id est vipera apud Hispanos.

Ad omnes morsus venenatos, cardialgiam, vertiginem, lipothymias & pestem prodest. vide Dioscoridem. Diosc. l. 2. c. 129.



TRIBVLVS.
Cap. CCCCLXXIX.

Diosc. l. 4. c. 13.

TRIBVLVS est vel terrestris, vel aquaticus, terrestris habet foliola portulacæ cum spinis, & amat rudera. aquaticus aquis stagnantibus innatat, & fructus nigros spinosos, nucis magnit. fert, qui Gallicè, vocantur, *Saligots*. ambo refrigerant & adstringunt, succus eorum oculis & inflammationibus, semen vero calculo confert, decoctum irroratum pulices necat, vlcera oris & tonsillas curat.

Math. l. 4. c. 14. Gal.

Fructus tribuli terrestris renum calculum rumpit, vide Galen. l. 7. simpl.



TRIFOLIVM.
Cap. CCCCLXXX.

Dioscor.

TRIFOLIVM vel triphyllum à numero foliorum nomen habet, Gallicè, *Tresueil tresle & triolet*. multiplex est.

Trifolium odoratum, vel bituminosum.

TRIFOLIVM bituminosum dictum rutæ vel bituminis odorem habet, eius

folia & semen epota, comitiali morbo laborantibus, vrinæ difficultati, hydropi incipienti & vteri suffocationi conferunt, menses ducunt. venenatis morsibus etiam prosunt.

Menses prouocant & lateris dolores leniunt. Galen.

Serpentes fugat odore. radix antidotis immiscetur.

Trifolium vulgare seu pratense.

Varij coloris & floris reperitur, est enim, album, purpureum & luteum. adstringit & exiccat, concoquit, menses optime sistit, inflammationibus vtiliter imponitur, vide Dioscoridem. Diosc. l. 3. c. 111.



TRIFOLIVM ACETOSVM.
CAP. *CCCCLXXXI.*

TRIFOLIVM ACETOSVM, Græcè oxys, ab aciditate sua dicitur, aliter alleluya & panis cuculi, folia eius cordis figuram habent flos est candidus, syluas amat. est acidum vt acetosa & eiusdem temperiei, nempe frigid. & sic. Plinius

Ad enterocelen valet. & ad vulnera fistulas ac vlcera oris. vide Mathiol. Math. l. 3. c. 106.



TRITICVM.
CAP. CCCCLXXXII.


TRITICVM sic dicitur quod teratur, Gallicè, *bled*, Græcè, *πυρὸς* calefacit, sed amylum quod ex eo fit, est frig. & sic.

Diosc. l. 2. c. 71. Illitum vel mansum crudum ad morsus canum valet, farina verò eius illinitur ad neruorum fluxiones & intestinorum inflammationes, lentigines tollit, cum aceto lepras & furfures, inflammationes incipientes pellit, cum ruta mammis turgentibus ac viperarum ictibus adhibetur; fermentum eius extrahit & calefacit. furunculos &c. aperit; cum menta & butyro ad tussim, cum muria ad impetigines valet.

Galen. Fermentum attrahit & digerit.

Plin. Pedibus vtile valdè est eiusque podagræ &c, palea vero ramicibus vide Math.


Math. l. 2. c. 78.



TVBERA.
CAP. CCCCLXXXIII.

Mathiol. Auicé. TVBERA, Gallicé, *Truffes* dicuntur; de iis Mathiolus post Auicennam di-

cit quod succum gignunt melancholicum; apoplexiam & paralysin, si nimium edantur prouocant, quia terrestres sunt. vide Dioscoridem. Diosc. l. 2. c. 131.



TVSSILLAGO.

CAP. *CCCCLXXXIIII.*

TVSSILLAGO, sic dicta quod tussim agat, vocatur etiam bechium quod expectoret humores, farfara, vngula caballina, a figura folii filius ante patrem, quod flores precedant folia. Gallicè, *Pas d asne* a forma, *& herbe des pates*, à viribus. florem habet luteum, subitò in pappos abeuntem, amat fontes, loca aquosa & vineas. Fuchsius. Diosc. l. 3. c. 114.

Folia eius cum melle trita, sacris ignibus & inflammationibus medentur, fumus eius tussi siccæ & Orthopnœæ opitulatur, abscessus thoracis rumpit, radix suffita vel cocta & cum aqua mulsa epota fœtum mortuum eiicit. Plinius

Fumus radicis eius haustus tussim veterem curat, syrupus illius optimus est ad pulmonis morbos, radix eius calida est, subtiliat, prodest pesti & febribus pestil. ac suffocationi vteri. vide Galenum. Math. l. 3. c. 109. Galen. l. 6. simpl.



TVTHIA.
Cap. *CCCCLXXXV.*

Math. l. 5. c. 45. TVTHIA seu pompholix, Græcè, spodion, est species cadmiæ, quæ in caminis cupreis reperitur. vlceribus cancrosis & malignis. confert, vt & oculorum defluxui ac pustulis eorum, sine mordicatione desiccat sed priùs lauari debet.



TYPHA.
Cap. *CCCCLXXXVI.*

Diosc. l. 3. c. 120. TYPHA, Gallicè, *Masses & marteau* in aquis stagnantibus nascitur & habet folia cyperi, modice calefacit, ambustis vtilis est.

Math. l. 3. c. 116. Epota ad hernias intestinorum valet.



VALERIANA.
Cap. *CCCCLXXXVII.*

VALERIANA, aliter phu, dicitur etiam carpesiũ à monte Pamphiliæ,

liæ, eſt planta magna, folio elaphoboſci vel oleris atri, flore purpuraſcente ſubalbido, radice odorata. amat aquas & lucos, eſt calida ſicca ſecundo gradu.

Siccata, decocta & epota, vrinas mouet. Galen. Plin.

Menſes cit, ad ſtrangulationes & pectoris ac lateri dolores valet.

Si capiti admoueatur eius dolores aufert. in vino cocta, doloribus oculorum confert ſi eis inſtilletur, iecur & lienem deobſtruit, renes ab arenulis mundat & vrinas mouet. Math. l. 1. c. x. Dioſc. l. 1. c. x.



VERBENA.

CAP. CCCCLXXXVIII.

VERBENA, aliter periſtercon ſeu columbina & columbaris dicitur quod ametur à columbis, item ſagminalis & graminalis quod inter gramina naſcatur, hierobotane ſeu herba ſacra, quod eâ Romæ domus purgarentur, & ædes ſacræ eâ luſtrarentur.

Amat vias, deſiccat & adſtringit. vulnera curat. Galen.

Cum adipe appoſita, vuluæ dolores tollit, vlcera putrida cohibet, vulnera glutinat etiamſi vetera, epota icterum Dioſc. l. 4. c. 50. 51.

curat,illita verò œdemata & inflammationes mitigat, in gargarismate sumpta oris nomas tollit & tandem ad quartanas & tertianas valet.



VERMES.

CAP. CCCCLXXXIX.

Diosc. VERMES neruos scissos vniunt,tertianas febres curant; si verò cum adipe anseris coquantur & instillentur aurium dolorem tollunt, vrinas etiam prouocant.

Mathiol. l. 2. c. 61. Cum oleo cocti. ad dolores iuncturarum vulneraque intestinorum valent, balsamis immiscentur, cinis eorum cum marrubio, ictero prodest.

Gal. l. 1. de Theriaca. Inflammationibus podagræ cum oleo rosaceo confert.



VERONICA.

CAP. CCCCXC.

Math. l. 3. c. 25. VERONICA, Gallicè, *Herbe aux ladres,* est mas & foemina, habet folia denticulata & serpit, mas est flore purpureo & fert siliquas vt marsupiola,

loca inculta amat,fœmina folia rotunda habet. mirè vulnera & vlcera vetera curat,colli tumores resoluit, febres pestilentiales & pestem curat, aqua eius tussi ac pulmoni confert. omnibusque morbis pectoris,& præcipuè pus spuentibus est calida sicca, amara & adstringens, valet ad scabies & omnia cutis vitia, tumores discutit,obstructiones lienis & iecoris tollit,vlcera pulmonis & elephantiasim curat.



VERRVCARIA.
CAP. CCCCXCI.

VERRVCARIA seu heliotropium, est magnum & paruum,magnũ est instar magnæ calendulæ & planta procera ac peregrina, minus est inter milia, sic dicuntur quod verrucas curent & ad solem se conuertant.

Paruum habet flores instar caudæ scorpionis, folia basilici sed hirsuta & albiora maioraque, decoctum foliorum purgat pituitam & bilem infra, ictibus scorpionum prodest, febres quartanas & tertianas curat, semen eius verrucas tollit, folia admota menstrua & fœtum expel- Diosc. l. 4. c. 169.

Math. l. 4. c. 185. 186 lunt. magnum, cancros & vlcera gangrenosa curat. vide Mathiolum.



VICIA.

Cap. CCCCXCII.

VICIA Gallicè *vesse*, nomen habet quod res proximas capreolis suis vinciat, inter segetes prouenit, est inter calidum & siccum temperata.

Galen. Semen eius aluum retinet, succum melancholicum & prauum alimentum, coctuque difficile generat, malè ergo ægris a multis datur.

VICIA SYLVESTRIS.

VICIA SYLVESTRIS seu aphaca, Gallicè, *vesse sauuage & vesseron*, siliquas fert cum semine nigro, folio est tenui, in aruis sponte nascitur; moderate calida sicca, adstringit vt lens, tosta, fricta & decocta alui fluxus sistit. semen eius adstringit quare alui fluxibus adhibetur. Galenus non probat earum alimentum. quidam vero tabidis & dysuriæ conferre aiunt; cum melle maculas faciei tollit, morsibus etiam venenatis admouetur.

Gal. Diosc. Plin. Diosc. l. 2. c. 134. Gal. l. 1. de. Alim. Math. l. 2. c. 142.



VINCA PERVINCA.
CAP. CCCCXCIII.

VINCA vel vinca peruinca, quod vt vitis serpat, aliter clematis, daphnoides & chamædaphne à foliorum figura, Gallicè, *peruenche*, est planta semperuirens, loca pinguia & vmbrosa amat, est sicca ex Paulo Ægineta. Paulus. Ægin.

Folia eius cum vino pota aluum ac dysenteriam sistunt, cum lacte & oleo rosaceo vteri dolorem, mansa vero dolorem dentium tollit, venenatis morsibus prodest, cum aceto epota id aiunt Galenus & Paulus. Diosc. l. 4. c. 6. Galen.


Hæmoptoi confert. & ex Mathiolo coxæ ligata, menstrua sistit & abortum impedit, capiti imposita & circa collum, sanguinem narium cohibet. Paulus Ægin. Mathiol. l. 4. c. 6. 7.



VINVM.
CAP. CCCCXCIIII.

VINVM, corroborat. est optimum balsamum ad vulnera, cardiacum mirum, & ideò vires refocillat, nutriti- Renod. l. 1. c. 2. mat. med.

uum præterea eſt, coctionem iuuat, ſtomachum roborat, obſtructiones aperit, vrinas cit, ſomnumque accerſit, venenis frigidis obſiſtit, nimio tamen vſu ob vapores nocet.



VIOLA MARTIA.
CAP. CCCCXCV.

VIOLA purpurea, Martia & muraria, ïo etiam dicitur, quod terra, ïo in vaccam verſâ hunc florem tulerit & viola quaſi vitula à nonnullis dicitur. amat loca opaca, eſt ſubfrigida primo ordine & humida ſecundo.

Dioſc. l. 4. c. 105. Refrigerat, folia illita cum polenta ſtomacho æſtuanti, oculorum inflammationi & ſedis procidentiis proſunt, vt & anginæ & puerorum morbo comitiali, precipuè ſi flos in potu ſumatur.

Galen. Phlegmonas mitigat.

Plin. Crapulas olfactu, vel in coronis geſtata diſcutit, ſemen ſcorpionibus aduerſatur.

Simeõ, Sethus Odoratæ ſomniferæ ſunt & inteſtinorum dolores tollunt cerebrum præterea roborant & hecticis proſunt.

Mathi. lib. 4. c. Ex Meſue valent ad dolorem pulmo-

nis,& pectoris, ad icterum, synanchem, asperitatem arteriæ, dolorem capitis, obstructiones, & pleuritidinem; syrupus eius ardores stomachi mitigat. 117.

VIOLA TRICOLOR.

VIOLA TRICOLOR, Gallicè, *pensée*, valet ad asthma & inflammationes pulmonum, ad scabiem & alia cutis vitia. Mathi. lib. 4. c. 117.

VIOLA MATRONALIS.

VIOLA MATRONALIS dicitur quod à matronis excolatur, alba, punicea & purpurea reperitur, Gallicè, *gyroflées*, vocatur. incidunt & digerunt, asthmati prosunt in aqua coctæ, conuulsis, tussi veteri, vrinam ducunt, sudoresque ciendi facultatem habent.



VIRIDE AERIS.
CAP. *CCCCXCVI.*

VIRIDE ÆRIS, Gallicè, *verdet & vert de gris*, pro æris, adstringit, attenuat calefacit, oculorum cicatrices tollit, vlcera corrosiua reprimit, præcauet vulnerum inflammationes, vlcera Diosc. Math. l. 5. c. 52.

sordida mundat, callos fistularum & gingiuarum ac palpebrarum tumores tollit si cum melle admoueatur.

Galen. lib. 9. simpl. Resoluit, minuit, absumitque carnes omnes, quia est epuloticum.



VISCVM.
CAP. *CCCCXCVII.*

VISCVM, vel ixum, Gallicè, *Guy*, pyris, malis, aliisque arboribus & aliquando quercubus innascitur; calefacit cum acrimonia.

Diosc. l.b. 3. Discutit, emollit, attrahit, parotidas abscessus, tubercula & epinyctidas cum resina & cera maturat; cum thure antiqua vlcera, cum calce verò lienes curat.

Galen. Humores e profundo extrahit, imo crassiores, eosque digerit.

Mathiol. l. 3. c. 87. Lignum eius datur per 40. dies in potu, puluera tum, ad epilepsiam, modo terram non tetigerit, collo etiam suspenditur vel brachio alligatur ad partum iuuandum, quercinum reliquis anteponitur.



VITIS.
Cap. CCCCXCVIII.

VITIS folia trita ad dolores capitis, stomachi, & inflammationes valent, quia refrigerant & adstringunt. succus eorum dysenteriæ ac hæmoptoï prodest, humor vero à sarmentis vitis resudans pilos denudat, gummi eius calculos pellit, cinis eorum cum oleo rasaceo luxatis & uiperæ morsui confert, vinaccorum decoctum, dysenteriæ, cœliacis & fluxui muliebri prodest. Diosc. l. 4. c. 160. & l. 5. c. 1.

Racemi syluestres cutis vitia tollunt, ex Galeno. Gal. l. 11. de alimet. fac. cap. de vuis.




VITRIOLVM.
Cap. CCCCXCIX.

VITRIOLVM à vitri splendore nomen habet, dicitur etiam chalcanthũ quod æs in se habeat, atramentũ quod ex eo fiat atramentum cum decocto gallarum, cuperosa vero est vitriolum impurum. vitriolum Romanum dictum reliquis præstat, excepto Cyprio, quod est cœruleũ, fit etiam in Hispania & terra Diosc. l. 5.

quadam, adſtringit, calefacit, eſcharras promouet, confert ad fungorum venenum, naribus inſtillatum cerebrũ purgat.

Math. l. 5. c. 74. Carnes ſeruat quia deſiccat.

Spiritus vitrioli vlcera maligna & præcipuè venerea curat, vt & fiſtulas ſi injiciatur, prodeſt etiam aſthmati cum tuſſillaginis decocto.



VLMVS.

Cap. CCCCC.

Dioſc. l. 1. c. 90. OMNES eius partes adſtringunt, folia cum aceto lepras tollunt & frictione ſola, vulnera curant; cortex epotus phlegma euacuat, aqua eius veſicarum, fucus eſt.

Math. l. 1. c. 95. Decoctum foliorum eius, mirè ambuſtis & vulneribus confert, inflationes pedum tollit, liquor ex eius trunco ſtillans apoſtemata curat & capillos producit ac cadentes retinet ex Plinio. humor veſicarum illius, hernias inteſtinales puerorum ſanat (vt expertus ſum) ſi ejs ſœpè madida eo lintea admoueantur; decoctum corticis, iuncturarum & neruorum duritiem emollit.

Plin. lib. 8. c. 24.



VMBILICVS VENERIS. CYMBA-laria, vmbilicus marinus. CAP. CCCCCI.

VMBILICVS veneris, aliter, acetabulum & cotyledon, à figura concaua & vmbilici dicitur, cymbalaria est etiam eius species.

Est planta crassa, figura pateræ, quæ comesa stomachum refrigerat, talorum apostemata curat, calculum rumpit, hydropi confert & vrinas mouet. Diosc. lib. 4. c. 78.

Est frigidus humidus, modicè adstringit refrigerat, repellit, abstergit, resoluit erysipelata & phlegmonas extra admotus curat, tandemque stomachi ardores temperat. vide Mathiolum. Gal. l. 7. simpl. Math. l. 4. c. 87. 88.

VMBILICVS MARINVS.

VMBILICVS marinus est porta, lapidea limacis marini, quia ingreditur vnguentum citrinum. Renod. l. 3. c. 24.



VNGVIS ODORATVS; BLATTA. CAP. CCCCCII.

VNGVIS Odoratus aut aromaticus seu blatta Bizantia, est porta con- Diosc. l. 2. c. 8.

chæ marinæ, quæ apud circa Byzantios & Indos ac Babylonios reperitur, & aromatica eſt, quia hæc concha nardo veſcitur, in mari rubro etiam colligitur; fumo exceptæ matricis ſuffocationi & epilepſiæ proſunt, epotæ aluum laxant.

Math. l. 2. c. 8. &. 35. Stomacho & cordis palpitationi conferũt. de aliis blattis & inſectis etiam agit Math. hæc vero calefacit & ſiccat tertio gradu: ex Serapione ad palpitationẽ cordis valet, iecori etiam & matricis ſuffocationi, ac à morbis debilitatis confert. Serapio.



VRINAE.

CAP. *CCCCCIII.*

Dioſc. l. 2. c. 71. VRINA humana ad morſus viperæ & incipientem hydropem propinatur, fotus ex ea ad omnes morſus valet, cum nitro lepras &c. curat, tineam mundat & orthopnœam leuat.

Gal. l. 10. ſimpl. Omnes vrinæ calide ſunt, at debilior eſt humana.



VRTICA.

CAP. CCCCCIV.

Atheneus. VRTICA Græcè κνίδη quod pũgat & ακαλύφη quod iniucundo

sit tactu & pruritum pariat, Gallicè *ortie*, vrtica vero quod vrat & vesicas igni similes excitet. Fuchsius

Multiplex est, nempe, Græca seu Romana vel aspera, *Ortie grieſche ou greque* dicta, & minor, mollis, communisque in auenis nascens. Diosc.

Est & mortua non pungens, lamium dicta. id.

Mas semen lucidum vt linum habet sed in globulis, hæc sata solum prouenit, sunt caudæ & siccæ. id.

Cum sale, canis morsibus, gangrenis & malignis vlceribus, cancris, parotidibus, abscessibusque adhibetur, lienosis vero cum cerato, succus eius hæmorrhagias narium cohibet (quod ego verum obseruaui in meis obseruationum centuriis auctis) cum Myrrha trita & imposita menses mouet ac vteri procidentiam emendat; semen epotum venerē stimulat iuuat pleuritidem, peripneumonias & orthopnœas & quæ sunt in thorace educit, folia eius vrinas mouent, remediis exedentibus immiscentur. Diosc. l. 4. c. 79.

Folia eius parotidas & tubercula digerunt, gangrenosaque ac cancrosa sanant. Gal. l. 6. simpl

Semen eius est ventosum, luxuriam cit

Math. l. 4. c. 89. crassos humores calore suo expectorat, ventrem emollit & abstergit.



VRTICA MORTVA, LAMIVM. CAP. *CCCCCV.*

VRTICA alba, mortua, vel fætida, vel labeo, vel iners idem sunt, mortua & iners dicitur quod spinis careat, ab aliis, archangelica, scrophularia maior, millemorbia & castrangula Græcè, γαλίοψις quod flores galeam vel mustelam referant, reperitur flore purpureo, luteo & albo sed fætido, caule est quadrato, sepes amat, melissam refert, est calida & sicca vt vrtica.


Plinius Cum sale modicọ, contusis, inustis, strumis podagræ tumoribus, vulneribus ac igni sacro confert. aiunt etiam extrahere corpori infixa & ad quartanam valere sistit narium sanguinis fluxum, fistulisque

Math. prodest. vide Mathiol. l. 4. c. 90.

Diosc. l. 4. c. 80. Panos parotidas, carcinomata & strumas duritiesque discutit, si bis in die cum aceto imponatur; decocti eius fotus ad gangrenas nomasque prodest.

Paulus ægineta. Schirros tollit. mariscas & vlcera putrescentia sanat, succus eius faciei de-

formitates tollit, elephanticos curat, semen verò vermes necat.



VVA CRISPA.
CAP. *CCCCCVI.*

VVA crispa, intorta etiam ob folia intorta dicitur, Gallicè, *Groselier*, venit in frutice spinoso, species rhamni est easdemque vires possidet, adstringit, refrigerat & desiccat.

Folia eius illita, ignibus sacris & herpetibus medentur. Diosc.

Erysipelata sanat. Galen.



ZARZAPARILLA.
CAP. *CCCCCVII.*

ZAZAPARILLA est smilacis asperæ sed Indicæ, species, ignota antiquis, quæ calefacit, subtiliat, sudores mouet, luem veneream curat, morbos & dolores iuncturarum, cutis omnia vitia, vlcera difficilia & scabies difficiles, tumoresque molles & sine dolore seu œdemata, vt & morbos capitis frigidos sanat. vide Math. l. 1. c. 111. Math. l. 4. c. 140.

ZEA.

CAP. CCCCCVIII.

Diosc. l. 2. c. 77. Galen. Plin.

ZEA, Gallicè, *Espeautre*, nutrit, exiccatque modicè. & ex Galeno vires habet inter hordeum & triticum.

Cum vino ad scorpionum ictus, hæmoptoïn, vlcera manantia, furfures & dolores stomachi, prodest, vimque habet emplasticam.

Simeó. Sethus

ZIBETHVM.

CAP. CCCCCIX.

Math. l. 1. c. 20.

ZIbethũ est sudor collectus inter testiculos animalis instar felis, in Syria. vmbilico admotũ suffocationi matricis, confert, quare nonnulli ex eo balanum inungunt vt coitus voluptatem augeant.

ZINZIBER. ZEDOARIA.

CAP. CCCCCX.

Diosc. l. 2. c. 146.

ZINZIBER, est radix cal. ex Arabia veniens, digestionem iuuat, in condimentis vsurpatur, visum acuit & anti dotis immiscetur. vires habet piperis, conditur ne cariem contrahat.

Math. lib. 2. c. 154.

ZEDOARIA à China affertur & vires zinziberis, sed minores habet.

FINIS.



APPENDIX.

Appendicis loco, hic addere placuit, quatuor nouarum plantarũ, peregrinarumque descriptio, ne quid huic opusculo deesse videretur.



THEA.

THEA, Gallicè, Thay & Thé, quasi diuina, vt Græcè sonat, est arbuscula Chinensis, folium cuius infusum propinatur, ad vigilias arcendas vires reparandas, stomachum corroborandum & digestionem adiuuandam, iamque frequens est in Gallia eius vsus, ad drachmam vnam infunditur in vino albo, vel aquâ, bisque potest infundi, quindecim eius species reperiuntur, folia eius myrthi folia æmulantur, si aquæ calidæ infundantur

Alex. de Rhodes in sua peregr. Chinensi.

emolliuntur adeo, vt formam eorum percipere valeas.




CHOCOLATE.

Morellus in libro singulari de ea.

Fr. Ximenes de nat. plant. & animal nouæ Hisp.

CHOCOLATE vel Chocollatl est Indicum vocabulũ, sonãs pastam è multis rebus conflatam, quæ in potu hauritur, cuius basis est fructus, cacao, dictus, cuius arbor dicitur cucahuaguahuitl, pinguefacit & modicè calid. est. In aqua communi vel endiuiæ bibitur, iecur temperat, præcipuè si cum rhei aqua propinetur, sitim extinguit, coctionem iuuat, stomachum roborat; ad 5. ac 6. vncias mane debet hyeme & æstate vsurpari, sed non sub canicula, nec nimis eâ vtendum, ne obstructiones pariat.



CONTRAYERVA.

COntrayerua, vocabulum est Hispanicum, quod idem significat ac alexipharmacum.

Radix est exotica, quæ ex prouincia Peruana defertur, iridis radici valdè similis, sed minor, & ficulnei folii odore, gustata aromaticum quiddam sapit, cum acrimonia iunctum, vnde calida videtur secundo gradu.

Eius puluis ex albo vino sumptus aduersus omne venenum, cuiuscumque sit generis, (vno sublimato excepto, quod sola lactis potione extinguitur,) est remedium præsentissimum, vomitione enim illud reiicere facit, aut per sudores euacuat, ventris etiam animalia pellit. Amatoria quoque pocula eo puluere hausto educi ferunt.



ROS SOLIS.

ROS SOLIS vel rorella, gallicè, *Rosée de Soleil de Dodonée*, capillaribus annumeratur, nomen autem accepit quod tota die rore lutei coloris madeat; est herba valdè parua, foliis subrubris, rotundis & longiusculis, concauisque, filis rubris coronatis, cauliculis etiam subrubris & Dale camp. I Kn c.2.

incuruis, flosculis albis. Loca amat vmbrosa, montana & humida, acris est & subastringens ac desiccans, phlegmatis salsi in pulmones descensum cohibet, eiusque vlcera sanat, asthmati, phthisi & omnibus pulmonum morbis confert, & præterea a chimicis ex ea paratur quinta essentia ad omnes morbos, de qua vide Penotum in præfatione denarii medici, Paracelsum, Planis Campy & alios.

FINIS.

